SPECVLVM ECCLESIÆ PONTIFICIÆ.

NICOLAVS CLEMANGIS ARCHIDIACONVS BAIOCENSIS, DOCTOR S. Theologiæ Parisiensis, de corrupto *Ecclesiæ statu.*

Huic accesserunt duæ eiusdem Epistolæ super materia Cōcilij generalis: Tractatus Petri de Aliaco Cardinalis Cameracensis, de reformatione Ecclesiæ Concilio Constantiensi oblatus, aliaq; ex D. Gersono, Bernardo, Iohanne Parisiensi Episcopo Camotensi, Marsilio Patauino, Alvaro Pelagio Episcopo Syluensi, Theodorico de Niem Episcopo Verdensi, & alijs, eiusdem argumenti ad detegendam Ecclesiæ Pontificiæ fœditatem, collecta & edita opera & studio EDVVARDI BVLKLEI S. Theologiæ Doctoris.

NAHVM 3. 5.

Ecce me contra te, dicit Iehouæ exercituum, & retegam fimbrias tuas replicans in faciem tuam: vt ostendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam: & proijciens in te res detestandas, turpitudine afficiam te, disponamque te vt speculum.

LONDINI,
Impensis Georg. Bishop.
1606.

Ex Io. Tritemio Abbate Spauheimensi, *de Ecclesiasticis scriptoribus.*

NIcolaus Clemangis Archidiaconus Baiocensis, vir in diuinis scripturis eruditus, & in secularibus literis nobiliter doctus, metro excellens & prosa, in gymnasio Parisiensi, magisterium sacræ paginæ consecutus magnam eruditionis suæ euidentiam dedit. Scripsit vtroq; stilo multa præclara volumina, quibus luculentissimi ingenij sui memoriam reliquit: De quibus subiecta feruntur ad Petrum de Aliaco Dominum Episcopum Cameracensem, & Cardinalem supradictum, opus insigne quod prænotauit.

De fructu Heremi.	*lib.* 1.
De corrupto Ecclesiæ statu.	*lib.* 1.
De nouis Festiuitatibus.	*lib.* 1.
De materia Schismatis.	*lib.* 1.

Epistolarum ad diuersos, & multa alia.

Claruit temporibus Sigismundi Imperatoris & Concilij Constan: An. Dom. Mcccc xvij.

Clariſsimo viro, & ſuis virtutibus ornatiſſimo, Domino *Richardo Chetwoodo*, Equiti aurato: Gratia, miſericordia & pax à Deo Patre & Domino Ieſu Chriſto.

Cvm veritatis diuinæ vindices, quos Deus pro immenſa ſua miſericordia, in hac ſeneſcentis mundi ætate ad Antichriſtum detegendum & debellandum excitauit, Pontificiorum adulterinam doctrinam, cõmentitios cultus, & teterrimos abuſus, ac corruptelas redarguunt, luculentiſſimiſq; ſcripturæ ſacræ teſtimonijs refellunt: iſti ad nudum Eccleſiæ nomen tanquam ad Aſylum confugiunt, & ſub eodem ſe tutò delitescere, ſuaſq; ſordes omnes tegere ſe poſſe arbitrantur. Neque hoc nouum eſt, & ante hunc diem inauditum. Maiores enim ipſorum qui Baali adolebant, deos alienos colebant, omniaq; ſcelera ſumma cum auiditate perpetrabant, Hieremiæ Pro-

phetæ hæc illis obijcienti & exprobanti, hoc
Ierem.7. ipsum occlamabant, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini. Quibus verbis penes se templum Dei esse iactabant, seq; pro veris illius ministris venditabant, cui ampliores & luculentiores promissiones quàm Terpeiæ rupi & septi-colli ciuitati Deus fecerat. Simili fastu inflati fuerunt sacerdotes tempore Christi, qui cùm se pro vineæ Domini colonis ducerent, & apud ipsos Ecclesiam esse indicarent, Dei filium haud satis idoneæ autoritate ad munus suum obeundum instructum, quia eam ab ipsis non acceperat, existimabant: eum extra vineam eijciebant, multisq; contumelijs tanquam schismaticum aut hæreticum afficiebant. Seruator noster Christus apud diuum
Apocal.2.9. Iohannem dicit, quosdã se Iudæos appellasse, quo nomine Ecclesiæ titulo superbiebant, cùm reuera essent synagoga Satanæ. Singuli
Lib.4.c2.vlt. quoque hæreticorũ cœtus (vt ait Lactantius) se potissimũ Christianos, & suam esse Catholicam ecclesiam putant. Quæ verba adducit
Tom.1.cont.4. de notis Eccles.c.1. quoque Bellarminus (qui Dominici humeris diuturno onere iam lassis & defatigatis, suos

ſuos ad ſuſtentandã Lateranenſem Eccleſiã ruentẽ ſuppoſuiſſe videtur.) Ex his liquido conſtat, non nudo Eccleſiæ nomini eſſe intendum, ſed de doctrinæ veritate & politiæ integritate eſſe inquirendum. Ea enim vera Chriſti Eccleſia cenſenda eſt, quæ veram doctrinam ſcripturis Prophetieis & Apoſtolicis conſignatam profitetur, & ordine à Ieſu Chriſto inſtituto gubernatur. De priori Chriſtus ait, Oues meæ vocem meã audiunt: D. Paulus dicit, domeſticos Dei, qui ſunt Eccleſia, (Nihil enim aliud eſt Eccleſia, inquit Chryſoſtomus, quã ex noſtris animabus conſtructa domus) ſuperſtructos eſſe ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarũ, ſummo angulari lapide ipſo Ieſu Chriſto. Vnde D. Hieronimus, Eccleſia non in parietibus conſiſtit, ſed in dogmatum veritate: Eccleſia ibi eſt, vbi fides vera eſt. Et rurſus: Eccleſia Chriſti quæ habitat benè, & in toto orbe eccleſias poſsidens, ſpiritus vnitate coniuncta eſt, & habet vrbes, legis, Prophetarũ, Euangelij, & Apoſtolorum: non eſt egreſſa de finibus ſuis, id eſt, de ſcripturis ſanctis. Huic D. Auguſtinus ſæpe aſſerit, ſcripturam

Vide Anton. hiſt part. 3. Tit. 23. cap 4. §. 3. fo. 194.

Ioh. 10. 27.

Eph. 2. 20.

Chryſoſt. in Epiſtolam. 10

Hieronym. in Pſal. 133.

Idem in Michæã. 1. c. 1

Auguſtin. de ciuitate Dei, lib. 3. cap. 1.

De vnitate Ecclesiæ, ca. 2.3.4.&c. Bellar. tom. 1. contr. 4 li. de notis Ecclesiæ. cap. 9

Ecclesiæ testem esse, eamq; demonstrare. Denique ne plura consectèr, ipse Bellarminus vi veritatis victus cogitur confiteri, veram Ecclesiam dici Apostolicam, quia doctrinam retinet quam Apostoli tradiderunt. In quo cum Bellarmino eiusq; commilitonibus Ignatij Laiolæ tyronibus, pedem figimus, & comminus pugnamus, eosq; prouocamus vt si planè ac dilucidè nobis ostendant, doctrinã illam quæ nunc in Ecclesia Romana recipitur, & ferro flammaq; defenditur, aliisq; obtruditur, eandè esse quam Apostoli tradiderunt, suiq; sanguinis effusione obsignarunt, & nos omnes facilè superabunt, & illustrem victoriam reportabunt. Si enim docuerint Apostolos tradidisse Romani Pontificis esse vrbi & orbi præsidere, imperatores & reges cùm excõmuninare, tum de solijs deturbare, eorumq; subditos à iuramento fidelitatis & obseruantiæ absoluere, & in ipsos concitare: eum in iudicando errare non posse, preces peregrina & incognita lingua esse profundendas, Angelos & Sanctos vita defunctos inuocandos, & pro mediatoribus nostris apud Deum adhibendos: si ostenderint Apostolos pur-

purgatorij ignem accendisse, indulgentias pro pecunia vendidisse, Christum in Missa pro viuis & defunctis obtulisse, calicē à cœna Domini remouisse, substantiā panis & vini paucorum verborum demurmuratione in ipsum corpus & sanguinem Christi conuertisse, placentam tenuem & rotundam in altum eleuatam pro Deo ac creatore adorasse, coram imaginibus procubuisse, easq; etiam latriæ cultu coluisse, & ad illas inuisendas longa itinera suscepisse, Monachorum & mendicantiū ordines instituisse: si hæc aliaq; eiusmodi portenta Ecclesiam primæuam ab Apostolis hausisse demonstrauerint, sanè redemus, & cùm nosmetipsos deceptos fuisse, tum alios in errorem induxisse, agnoscemus. Hoc igitur prædicendum, in hoc ab istis omnibus viribus esset desudandum, & non inaniter, ne dicam ridiculè, de externa locorum & personarum successione declamitandum, vt Kellisonus, orator dulcis, disputator parū vehemens, calumniator verò nimis impudens, aliiq; eiusmodi rabulæ faciunt. Hoc præstare summo studio conatus est Bellarminus, quantū & ipse & alij Laiolani satellites

ficere potuerunt. Verùm quo successu, quàmque parùm profecerit, omnes qui oculos occludere nolunt, facilè vident. Eius enim scripta à doctissimis hominibus D. Whitakero, D. Reynoldo, D. Sutcliuio, Francisco Iunio, Lamberto Daneo, Sybrando Lubberto, ac alijs sunt refutata & protrita: eorumq; defensio, neque ab ipso Bellarmino, aut alio quopiam suscipitur, sed penitus deseritur. Quis verò non videt quàm deplorata sit huius doctrinæ conditio, cuius propugnatio ab omnibus negligitur & respuitur?

De pontificiæ Ecclesiæ politia quid attinet dicere? quantum enim ea à Christi ordinatione defecerit, multi quibus aliquis pietatis sensus fuit, in ipso Papatu, caliginosissimis q; temporibus demonstrârunt & deplorârunt, deq; fœdis Rom. Ecclesiæ corruptelis scripta posteris reliquerunt. Quorum (vt aliquos recenseam) fuit Garardus Ridder ex superiori Germania, circa annum Domini 1369. qui duos libros edidit De fratrum mendicantium nequitijs ac sceleribus obscœnis, quod opus vocabat, Lachrymæ Ecclesiæ. *Aluarus Pelagius Episcopus Syl-*

Syluensis in Lusitania circa annum Domi. 1320. *librum magnum edidit, quem* De planctu Ecclesiæ *inscripsit. Giraldus Cambrensis librum exarauit, quem* Speculum Ecclesiæ *appellauit.*

Denique, vt alios omittam, Nicholaus Clemangis, Doctor Parisiensis & Archidiaconus Baiocensis, vir doctus & disertus, qui ducentis ab hinc annis & tempore Concilij Constantiensis vixit, librum de corrupto Ecclesiæ statu euulgauit. Hunc librum auidissimè expetens, sæpè multumq; sed diu frustrà quæsiui, tandem tamen Dei prouidentiâ in illum incidi, & à Doctore Bullenno nuper Ecclesiæ Lichfieldensis Decano accepi: de quo in lucem emittendo multis rationibus adductus cogitaui. Primùm, vt illum ab interitu vindicarem, quem Romanenses omnibus modis opprimere, & sempiternâ obliuione obruere student. Quod ex eo liquidò apparet, quia in priore editione ingentis illius operis Lutetiæ editi, quod Bibliothecam Patrum *inscripserunt, etsi aliquos huius Authoris libros ediderunt, hunc tamen de industria, vt videtur, reiecerunt: in po-*

ste-

ſteriori verò etiam illos libros priùs excuſos expunxerunt. Præterea in Indice librorum prohibitorum per Clementem octauum nuper edito, hæc de huius Nicholai Clemangis operibus verba habentur. Nicholai Clemangis opera illa tantummodò permitti poterunt, quę iuxta cenſuras Patrum deputatorum emendata excudentur. *Quibus verbis Papa innuit, vt alia huius viri eruditiſsimi ſcripta niſi fœdè mutilata & truncata non euulganda, ita hunc librum penitùs eſſe ſupprimendum. Cùm ergo illi tantoperè doctiſsimorum virorum ſcripta deprauare, mutilare, ac ſupprimere conentur: eorum qui veræ pietati ſtudent officium eſt, illa à clade eripere, & integrè omnibus proponere. Deinde hâc ratione pontificijs noſtris laruam detrahere volui, qui de Eccleſia Romana tantoperè gloriantur, eamq; tanquam virginem puram & incorruptam ab omnibus ambiendam & imitandam arbitrantur; ſimulq; vt omnes intelligant in quàm multos magnoſq; abuſus & corruptelas illa dilapſa ſit. Denique cùm pontificij noſtrorum hominum mores tantopere accu-*

ſent

sent & exagitent (quos in plerisque à vera pietate nimium deflexisse agnosco & deploro) quot quantisq; vlceribus ipsi scateant, omnes videant & intelligant. Verùm quia vni testi ne Catoni quidem creditum est, vt inquit Hieronimus, testimonio plurium eorumq; idoneorum testium hæc confirmanda censui. Clemangi igitur tractatum Petri de Aliaco Cardinalis Cameracensis de reformatione Ecclesiæ Concilio Constantiensi exhibitum adiunxi. Deinde nonnulla ex operibus Iohannis Gerson Academiæ Parisiensis Cancellarij, & regis Galliæ ad illud Concilium Constantiense Legati, cuiusq; magna pars fuit, collegi & adieci. Hos tres vnà coniungere volui, quia συγχρονοι vno eodemq; seculo vixerunt. Postea ex Bernardo, Iohanne Sarisburiensi, Marsilio Patauino, Theodorico de Niem, ac Aluaro Pelagio, qui omnes illis antiquiores fuerunt, aliqua excerpsi & apposui, vt ex his omnibus perspicuum fiat, quantum à vera pietate & recta rerum administratione Romana Ecclesia (quam velut filiolam vel potiùs matrem suam plerique deosculantur) defecerit. Postremò

ſtremò ex variis Scriptoribus pontificijs oſtendi, quàm auarè & miſerè Papæ eorúmque Emiſſiarij prouincias Chriſtianas & præcipuè Angliam noſtram importunis & inauditis exactionibus ſpoliárint & expilárint. Ex quibus omnibus, vt de adulterina doctrina, & horrenda Idololatria nihil amplius hic dicam, cuiuis conſtare poterit quàm iuſtis de cauſis, hoc aliaq; regna eius iugum grauiſsimum excuſſerint.

Hæc omnia, vt ab animo veræ religionis promouendæ ſtudioſo, ac Babylonis euertendæ cupido, profecta ſunt: ita ſub tuo clariſsimo nomine (ornatiſsime Chetwoode) *exire volui, vt ante mortem, quam poſt quadraginta annorum labores in Euangelij miniſterio exantlatos indies expecto, & diu abſuturam non arbitror, aliquod grati animi indicium ac teſtimonium pro tua ſumma humanitate, quam non parcè oſtendiſti, ſed plenè in me effudiſti, & nunc oſtenderem, & poſteris relinquerem. Plura nunc non perſequar, neque te (vt ſpero) currentem ad veram doctrinam amplectendam, & pietatem colendam incitabo. Tantum te*

rogo,

rogo, vt hoc Leidense munus non pro ipsius quantitate, quæ exigua, sed pro animi mei erga tuam amplitudinem propensione, quæ maxima est, serenâ fronte accipere velis. Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi ex animo oro, vt diuina sua dona indies in te magis magisq; augeat, tibi ac electæ Dominæ coniugi tuæ, suauissimisq; liberis benedicat, vosq; omnes quàm diutissimè florentes custodiat. Apud Woohullum tuum 12. *Octobris.* 1605.

Tuæ dignitatis studiosissimus:

EDVARDVS BVLKLEVS.

Lectori Christiano.

CVm in Epistola Dedicatoria rationes quibus adductus sum, vt D. Nicolai Clemangis librum de corrupto Ecclesiæ statu è tenebris eruerem, & in lucem proferrem, aliaq; scripta eiusdem argumenti illis adiungerem, suprà ostenderim: è re tua (Christiane Lector) fore existimaui, si te de nonnullis aliis certiorem facerem. Ac primùm vt quâ fide in his versatus fuerim, intelligas. Qua in re perfacilè testari, atque adeò (si opus esset) iurare possum, me eâ fide in his edendis vsum esse, quæ virum veritatis & pietatis studiosum decet, id est, optimâ, adeò vt ne verbum quidem de industria addiderim, aut detraxerim, aut immutârim. Odi enim eam libros mutilandi & depranandi rationem, quam pontificij non modò sequuntur, sed etiam profitentur, vt ex ipsorum indicibus expurgatorijs in Belgio ac Hispaniâ editis, ab illis quidem quantum fieri potuit occultatis, à nostris verò in lucem protractis, quiuis iam perspicere poterit. Verùm mirum nemini esse debet, eos qui corruptissimam doctrinam amplectuntur, in doctorum hominum scriptis corrumpendis tam studiosè

diosè incumbere, cùm à sacris Scripturis depraua-ndis, & antiquorum Patrum scriptis interpolandis manus cohibere non possunt. Quod calumniam non esse, ipse alio libro antè indicaui, & posthac si necessarium visum fuerit, ac vitam Deus concesserit, me pleniùs & planiùs demonstraturum promitto ac spondeo. Hinc quoque constare poterit me in hoc D. Clemangis libro euulgando, non perfidè, sed fideliter officio esse perfunctum, quia eum non ex manuscripto, sed typis excuso, idq; Romæ, vt præ se fert titulus, profero: quem si qui habeant (vt aliquos habere non dubito) eumq; cum hoc contulerint, facilè perspicient, quæ mea fides in eo recudendo fuerit. Idem illi quoque intelligere poterint, qui hunc ipsum in Gallicam linguam transfusum, ac 40. abhinc annis Aureliæ excusum viderint & examinârint, quem D. Iohannes Reynoldus huius Ecclesiæ decus & ornamentum, mihi anno superiori ostendebat.

Præterea te scire cupio me Rithmos illos qui D. Clemangis librum sequuntur, non à meipso addidisse, sed in exemplari quod secutus sum, inuenisse: quis eorum Author fuerit, me latet. Deinde duas illas D. Clemangis Epistolas de materia Concilij, quæ in fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum continentur, (qui liber valdè rarus est) quia doctæ ac vtiles sunt, & à superiori argumento non omninò alienæ, adsumgendas

gendas esse iudicaui. Atque optarem, vt si qui vel alia huius Authoris opera, vel illa aliorum quos ante nominaui, scripta habeant, ea non intra priuatos parietes contineant, sed in publicum ad Ecclesiæ vtilitatem proferant. Narrauit mihi M. Thomas Iames vir eruditus & de literis bene meritus, esse quædam D. Clemangis opera non typis excusa, sed manuscripta in Bibliotheca illius Collegij Oxoniensis, quod Nouum appellatur. Gratum mihi aliquid ille aut alius quispiam faciet qui ea à tineis & blattis eripiet, & in publicum aliorum vsum producet.

Ad extremum te rogo, Christiane Lector, vt hos meos qualescunque labores in his colligendis & edendis non Theonino dente arrodas, sed candide in bonam partem accipias, vtq; errata quæ Typographi incuria commissa fuerint, corrigas, ipse enim prælo adesse non potui. Postremò, si quam vtilitatem ex his ceperis, mei apud thronum gratiæ in pijs tuis precibus memor esto. Vale.

Nicolai

Nicolai Clemangis Archidiaconi Baiocensis, & Doctoris Theologiæ Parisiensis, *de Corrupto Ecclesiæ statu Liber.*

CVM hesterno die, sacrorum eloquiorum codicem arripuissem, &, quæ prima fuit obuia, primam Petri Epistolã legere cœpissem, incidi in ea verba quibus Apostolus ait: *Tempus est vt incipiat iudicium de domo Dei*, quæ non sicut partes cæteras Epistolæ in transcursu peruolaui, sed lectionis impetu aliquantulum remorato, concussam horrore quodã quasi repentè suborto, mentem in his meam hærere coegi, atque in se verba illa altiùs tenaciùsq; defigere. Occurrêrunt illico animo,

 satis

ſatis horrenti & perturbato, preſſuræ ac calamitates quas nunc Eccleſia perfert, & quaſcunque maiores multo (niſi falſum mens conjiciat) paſſura eſt. Occurrêrunt & pariter cauſæ tantorum malorum iuſtiſſimę. Nam cũ eccleſię ipſius miniſtros (quorum dos & poſſeſſio Chriſtus eſſe debet) ab omni contagione terrenæ cupiditatis excuſſos eſſe oporteat, cùm pudicos eſſe conueniat, & ab omni inquinamento, carniſque petulantiâ alienos, qui cœleſtia ſacramenta, preciumq; dignissimũ redemptionis humanæ tractant, conficiunt, alijſque conferunt: cùm pij eſſe debeant, qui piiſſimum iudicem vicariâ ſorte repreſentant: cùm iuſti, qui iuſtiſſimum, humiles, qui humillimum, concordes & pacifici, qui pacis atque cõcordiæ inter Deum & homines eſſe debent conciliatores ac mediatores. Poſtremo cùm eos deceat omni luce virtutum clareſcere, qui in ſpeculâ poſiti, forma & exemplar viuendi cœteris eſſe debent: ſed pro his atque alijs quibus adornari deberent virtutibus, omnium colluuione vitio-

vitiorum contaminati ſunt. Quid tãdem mirum, ſi illis multa aduerſa eueniunt? aut ſi auerſus ab eis Deus, immanitate facinorum, dicat verba Pſalmi: *Odiui Eccleſiam malignantium?* Atque vt pauca de vitijs ipſorum quibus ab irato Deo iure affligi meruêrunt, enumerando perſtringam, primum à cupiditate (quæ omnium fomes ac radix eſt malorum) initium ſumamus.

Nemo eſt (vt opinor) qui non ſatis audierit & mente teneat, quantum Chriſti Eccleſiæ miniſtri, viri vtique probatâ virtute clariſſimi omniq́ue tempore laude meritò celebrandi, terrenam opulentiam contempſerint, quàm nulla cura vel labore temporalia commoda quæſierint, ſolis victu & veſtitu abunde contenti: *Habentes*, inquit Apoſtolus, *alimenta, & quibus tegamur, his cõtenti ſimus*, quamq́; liberaliter rem familiarem (ſi aliunde vberior obuenerat) ad inediam pauperum ſubleuãdam erogare curauerint. Metuebant profectò deuotiſſimi homines, ſolam rerum cœleſtium meditationem ani-

Cauſa primitiæ fundationis & dotationis Eccleſiarum

mo gerentes, ne ſi ad hæc tranſitoria amplectenda ſuum paulo latiùs affectum adieciſſent, tanto animus eorum à ſpirituali contemplatione (cui ſe totos deuouerãt) auocatus, minus in Deum ferretur, quanto eſſet ad inferiora curanda atque cogitanda magis inflexus. Docti inſuper cœleſti magiſterio, *Deo pariter & Mammonæ ſeruire non poſſe*. Sed diuinâ agente gratiâ, quanto magis aſpernabantur temporalem ſubſtantiam aut gloriam, tanto illis abundantiùs omni ex parte affluebat, inſtar vmbræ, quæ ſequentem fugit, at vero ſi fugias, ſemper indefeſſa comes inſequitur. Cernentes etenim ſeculares homines tam Principes quàm alij locupletes, eiuſmodi virorum Dei ſanctam & ſinceram conuerſationem, ab omni terrena fece, igne diuini amoris excoctam, certabant vndique illis copioſiſſima bona congerere, vt ab omni curâ ſoluti, feruori poſſent deuotionis (abſque interruptione) liberiùs incumbere: beatos ſe exiſtimantes, ſi aliquid quod de ſuis opibus in vſus iſtiuſmodi cõtuliſſent, recipere dignarentur,

narentur, & pro ſe ſuorumque expiatione peccatorum, apud diuinam clementiam interceſſores fieri, ſic multis præclaris dotibus opibuſque magnificis Eccleſia aucta & inſignita eſt. Sic fundata cœnobia, conuentus inſtituti, extructa Capitula atque Collegia, ſic ſedes pontificales & parochiæ exortæ, ſic templa, ſic baſilicæ pulcherrimæ ſumptibus ingentiſſimis & mirabili opere ex Principum plebiumque impendio fabricatæ, ſic denique omnes gradus, vniuerſæque profeſſiones hominum eccleſiaſticorum in ampliſſimas copias excreuêrunt, quas primitiui illi patres (qui ſuis eas adquiſiêrunt virtutibus) non in profanis vſibus (quemadmodum nunc plerique) conſumpſêrunt, ſed aut in elemoſynas & hoſpitalitatem cœteraq; charitatis ac pietatis opera impendebant, aut ſi quid iſtis operibus menſæq; frugali ſupererat, in cellas ædificandas, ſi fortaſſis alij fratres cœlitus inſpirati religionis gratiâ adueniſſent, inque alia paranda, quibus parandis opus erat, conuertebant. Nullus his De laude pauperum.

thesaurus erat, nisi bonorum operum, sed amplissimus ille & refertissimus, nulla argentea vasa nec aurea, stanneis & fictilibus bibebatur, nullus magnorum equorum phalerarumque apparatus, nulla histrionum turba præambula, nullus calamistratorum aut comatorum iuuenum comitatus, virgatis monstriferis habitibus, patulis & terratenus defluentibus manicis, quasi ritu barbarico indutorum. Fœlix erat his incolis mundus, plenæ vrbes & agri populis, quos nulla aut rara lues absumebat, plena armentis stabula, pecora fœtibus, pomis arbores, sata frugibus, quia & cœli temperies terram in suo influxu ad apta quæque germina fœcundabat. Et terra nulli obnoxia maledicto, sed vberi benedictione, horum interuetu donata, quasi vltro ferax erat omnibus bonis. Viuebant diu homines, prosperaq; valetudine fruebantur: nulla erat domi seditio, nullus foris metus, pacata omnia, tuta & tranquilla. Vigebant in hominibus illius sæculi, charitas, innocentia, fides, pietas, iustitia, sincera amicitia,

citia, rara fraus aut calumnia proximo fiebat. Quoniam in ſanctâ vitâ & ſalubri doctrinâ paſtorum, totius boni exempla, ſuo gregi æmulanda relucebant. Tanta ſiquidem apud Deum erat talium virorum ex vitæ integritate potentia, vt ſuæ interceſſionis obtentu, bona mundus ampliſſima adipiſceretur, & aduerſa pauca ſentiret.

Vbi vero (vt fere aſſolet) paululũ ex diuitijs rerúmq; ſecundarũ affluẽtiâ, luxus & inſolentia in Eccleſiã ſubiêre, tepeſcere ſenſim cæpit religio, virtus hebeſcere, ſolui diſciplina, charitas minui, tolli humilitas, paupertas opprobrio eſſe, ſimulque parſimonia. Sed vt pompis & luxui res ſubeſſet, auaritia crebreſcere, quę non ſuis diu contenta finibus, aliena non modo ambire, ſed rapere & inuadere moliretur, inferiores opprimere, & tam iure quàm iniuriâ ſpoliare. Et quoniam latiſſimum hunc campum ingreſſi ſumus, libet de execrabili hac peſte (quæ Eccleſiam iam adeo conſumpſit vt pauca reſtent conſumenda) paulo latiùs loqui.

De inſolentia orta ex affluentia rerum temporalium in Eccleſia.

Ordiri autem rectissimè à prophetico possumus oraculo, & cum sancto Propheta Hieremia de ministris nostris verissimè hodie dicere, *à minimo vsque ad maximum omnes auaritiæ student, & à Propheta vsque ad sacerdotē cuncti faciunt dolum.* Quid enim satis dicere de eorum auaritiâ inexplebili possumus, quæ laicorum omnium negotiatorum cupiditatē superare videtur? immo quæ secularibus vniuersis (seu Principes seu plebei sint) omnis iniustitiæ, doli, fraudis & rapinæ prouocatio est & incitamentum: dum simplices ouiculæ pastorum suorum exēpla imitantes, quæ eos agere viderint sibi licere arbitrantur. Sed nos istius pestis nefariæ ab ipso summo vertice vsque ad pedes originem & progressum videamus. Postquam (sicut iam dicere cœperam) ex rerum opulentiâ, studium temporalium mentes seruorum Domini occupare cœpit, Deo simul & Mammonæ duobus dominis tam aduersarijs non potuêrunt pariter deseruire. Fuit itaque necessarium vt quantum diligentię in vnius

seruitium

ſeruitium impenderẽt, tantum alteri ſubtraherent. Quanto vero amplius animum ad temporalia lucra adiecerant, tanto magis illa ſitire, tanto amplius immergi in illis, ſicque à cœleſti amore longiùs auerti cœpẽrũt. Hanc enim diuitiarum naturam nouimus, vt quo vberiùs habentur, eo abundantiùs animum ad ſui ſemper incrementum maiori accendere ſoleant concupiſcentiâ. Ita igitur factum eſt, vt paulatim extincto in cordibus eorum ſpiritu, frigeſcente charitate, tepente deuotione, Deo denique oblito, ſolis terrenis fructibus capeſcendis inhiarent, ſola in dignitatibus beneficijſq; alijs emolumẽta penſarent. Nulla prorſus hodiernâ die in aſſumẽdis paſtoralibus ſarcinis, in curâq; animarum ſubeundâ de ſeruitio diuino, de ſalute ſubditorum aut ædificatione, mentio habetur, de prouentuum vbertate tantũmodo & quantitate quæritur. Nec vero tantopere quæritur, quanti ſit præſenti homini & in Eccleſia rite ſeruienti valor beneficij, quàm quid ſuo poſſeſſori longius otia agenti & perpetuo fortaſſis

abfuturo

abfuturo, annuo prouentu reddere valeat. Quis enim beneficium nunc postulans (neque enim cuiquam quantumlibet merito absq; postulatione instanti & importunâ tribuitur) quis inquam talis, quis sanctus veneretur in Ecclesiâ per eum requisitâ inuestigauit, quæ illic sanctorum ossa, quæ capsæ, quæ reliquiæ habeantur? Quis de qualitate plebis (cui præesse expetit) de moribus aut vitijs interrogat? Quis monasterium cupiens de regulæ in illo obseruatione, de tenore religionis, cultu ceremoniarum, de subditorum disciplinâ percunctatur? Quis humerorum suorum vires librat, an sufferendo oneri cui se supponere quęrit, sufficiat? Quis sua aut subditorum pericula cõsiderat? Quis eis prædicat aut euangelizat? Quis viam per quam ad salutem perueniant, facto aut verbo demonstrat? Imo vero quis hodie prælatorum non quâcunque viâ potest suos vndiq; subditos spoliat? Quis eorum miseretur inopiæ? paupertati cõdolet? subuenit indigentiæ? Immo quis indigentiam ipsorum non iure & iniuriâ ampli-

amplificatę Et (vt ita rem ſe habere, à ſupremo Eccleſię vertice vſque ad membra humilia doceamus) primum de ipſo capite à quo cætera pendent (ſi placet) inſpiciamus.

Poſtquam ergo affluentiæ rerum mũdanarum exuberantia & (maiorum virtutibus poſtpoſitis) immenſa auaritia, cum cęcâ ambitione virorum eccleſiaſticorum inuaſit animos, quo ad hoc conſequens fuerat, vt faſtu elationis atque dominationis extolli cœperint, & luxu effœminato reſolui: tribus itaque dominis exactoribus, vtique infeſtiſſimis, fuit ſatisfaciẽdum. Luxui, qui delitias vini, ſomni, epularum, munificorum ludorum, effœminatorum lenonum, ſcortorumq; expoſcebat. Faſtui, qui domos excelſas, caſtella, arces, palatia lata, & abundantiſſimam ſupellectilem veſtium chariſſimarum, equorum familiarium pompaticam requirebat oſtẽtationem, & ſuæ cupiditati, quæ ingentes ad hoc theſauros ſtudioſiùs condebat, vt ad præmiſſa explenda ſuppeterent, aut ſi ſatis aliunde

De tribus vitijs ex quibus cætera mala orta ſunt in Eccleſia.

proue-

proueniret explicanda esset, ad pascẽdam saltem ex figuræ numismatis aspectu, oculorum delectationẽ. Quorum proculdubio dominorum insatiabilium ad exequenda mandata desideriaq; perficienda, aurea (vt in fabulis est) Saturni sæcula (si orbi hac tempestate recurrerent) nec sufficere posse viderentur. Quoniam ergo ad ea agenda quę hæ tres rapaces Harpiæ exquirebant, nullus quantumlibet optimus & redditibus amplissimus prę̃sulatus sufficere posse compertus est, subsidia aliunde quibus eis satisfacerent excogitata sunt.

De exorbitantijs per summos pontifices in ecclesiã introductis.

Summi etenim Pontifices (vt tandem ad eos veniam) qui quantum primatu & authoritate se videbant cœteris præstare, tantum in huius primatus & supremę̃ potestatis argumentum, plerunque se super alios libidine dominandi extulẽrunt, cernentes emolumenta Romani Episcopatus, Petriq́ue patrimonium super regna quæque amplissimum (licet eorum ignauiâ satis iam attenuatum) ad status reuerentiam, quem vltra Imperatores & reges

reges omniumque gentium principes in excelſo extolli ſtatuêrunt, nullo modo ſuffectura, in aliena ouilia lanâ & lacte copioſa, incurrêrunt.

Omnium quippe Eccleſiarum vacantium, quâcunque per orbem terrarum Chriſtiana religio protenditur omnium præſulatuum aliarumq; dignitatum electione fieri ſolitarum, iura & collationes ſibi attribuêrunt, electiones ipſas à ſanctis olim patribus in tantâ vigilantiâ & vtilitate inſtitutas, caſſas atque irritas eſſe decernentes, vt vel ſic ſua vberiùs complere poſſent marſupia, ex omniq; prouinciâ Chriſtiano nomini dedicatâ, molem auri atque argenti infinitam ad ſuæ opus cameræ, ſedulâ negotiatione congregare. De abolitione electionũ & reſeruatione beneficiorum.

Quæ Camera quanti conſtiterit, quantum vniuerſas Eccleſias, regna pariter & prouincias exhauſerit, & inenarrabile eſt & prorſus incredibile. Sed fortè Romanæ ſedis antiſtes, creationem Põtificum, collationemq; ſuperiorum graduum Eccleſiæ idcirco abolitis electionibus ad ſuũ reuocarunt arbitrium, vt ſuâ prouiſione De Camera Apoſtolica.

ſalubrius

salubrius consuleretur ecclesijs, rectoribusq; in illis, tũ vt vitâ laudabiliores, tum doctrinâ præstantiores instituerẽtur. Forsan ita factum hac de causâ quis crederet, nisi res ipsa ex aduerso reclamans, apertiùs doceret postea quì hæc sunt, ignaros inutilésque homines (dummodo pecunioſos) ad gradus sublimiores Ecclesiæ, patrocinio Simonis euectos, qui suscepta creditáque ouilia qualiter administrent, posterius dicam. Sed de summis Pontificibus inchoatus sermo prius mihi absoluendus est, qui vt regifico luxu suũ, quemadmodum habebant super omnes mortalium magnificentias, statum exaltarent, non solum ea egẽrunt quæ de electionibus audistis, verùm vt aurei riuuli omni ex parte deriuati, suam vberiùs curiam irrigarent, omnibus diocesanis & patronis præsentandi facultatem, conferendique libertatem, quoquove alio modo de suis beneficijs disponendi ademẽrunt, interdicentes illis sub pœna anathematis, dẽ ausu temerario (sic enim illorũ loquitur tritum iam frequentiori vsu rescriptum)

De expectatiuis & qualitate corrẽtium ad Curiam Romanam.

ſcriptum) ſub quouis beneficio ſibi ſubiecto aliquem inſtituere præſumerent, quamdiu quis occurreret ex illis, quos ſuâ authoritate beneficia illa expectare conceſſerant qui illud adipiſci vellet. Quantus vero (Deus optime) expectantium numerus, ex illo tempore & qualium vndique effluxit, atque ibi preſto fuit? Non tamen à ſtudijs aut ſcholâ, ſed ab aratro etiam & ſeruilibus artibus ad parochias regendas, cœteráque beneficia paſſim proficiſcebantur, qui paulo plus Latinæ linguæ quã Arabicæ intelligerent, immo qui & nihil legere & (quod refert pudor) Alpha vix noſcerent à Beta diſcernere. At morum in illis compoſitio, hanc forte ignorãtiam excuſabat, immo ſi parum docti, negligentiùs morati, vtpote qui abſque literis in otio educati, nihil niſi impudicitias, ludos, comeſſationes, iurgia, vaniloquia ſectentur. Inde omnibus in locis tot ſacerdotes improbi & miſeri, atque ignari, qui ruinę & ſcandalo ſuâ turpi conuerſatione ſubditi ſunt. Inde in ore vulgi tantus ſacerdotum contemptus,

tus, tanta vilipensio. Inde totius ordinis ecclesiastici dedecus, ignominia, opprobrium, & nimis erubescenda, si erubescere scirent: sed frons multorum attrita erubescere nescit. Olim summo in honore apud seculares sacerdotium erat, & nihil venerabilius præsbyterali ordine: nunc verò nihil abiectius aut despicabilius.

De vacatiis & aliis vectigalibus ecclesiam opprimentibus

Adiecêrunt autem summi Pontifices personis ecclesiarum & ecclesijs ipsis vltra præmissa onera, vectigalia alia ad illam suam Cameram, immo potiùs Charibdim sulciendam. Statuêrunt namque vt quoties aliquem virum ecclesiasticum quâcunque foret dignitate vel conditione ex istâ luce migrare contingeret, aut suum cum altero quouis qualecunque beneficium permutare, totiens omnes prouentus primi anni secuturi certam ad summam suo arbitratu taxatos, sua memorata Camera acciperet. Quod si illam fortassis summam annua fructuum collectio, aut ex diminutione fructuum, aut alia calamitate cõficere non posset, triennali vel quandoque quadriennali fructuũ exactione

exactione ad ſummam ipſam pertingi voluêrunt. Quid prælatorum ſpolia? quid creberrimas decimas omnibus eccleſiaſticis indictas? quid angarias alias commemorem? quid conceſſas Principibus ſuper clero vniuerſo à Papa & pontificibus exactiones cum ſeculari in illos ſoluendi coertione? quid retentas procurationes & ſine vlla viſitatione ab ipſis Epiſcopis & Archidiaconis ibi ſubtractas? quâ neſcio an maiorẽ plagam Eccleſia ſuſtineat. Quantæ enim pernitiei eſt Eccleſiarum viſitationes, rectorumque reformationes penitus repreſſiſſe atq; extinxiſſe de politiæ Eccleſiaſticæ deſtructione quæſtum atque emolimenta percipere? Quid infinita alia quotidiana onera tributorum ab infortunatiſſimis Eccleſiarum miniſtris exacta (quæ longum eſſet exequi) particulatis referam?

Ad hæc autem omnia exigenda & ad illam ſeu Cameram (ſeu potiùs Charibdim dixerim) tranſportanda ſuos per omnes prouincias collectores inſtituêrunt, illos videlicet quos ſcirent in extorquẽdo

De inſtitutione collectarũ & malis per eas illatis.

C argento,

argento, vel industriâ aliquâ vel diligentiâ, vel naturæ acerbitate acriores, & qui nulli omnino parcerent, nullum eximerent, sed vel ex silice aurum elicerent, quibus & authoritatẽ annuerunt, quoscunque etiam Prælatos anathemate feriendi, extraq; communionem fidelium exturbandi, nisi intra præfinitos dies de postulata pecunia satisfacere curassent. Quanta autem hi collectores mala egerint, quantum pauperes Ecclesias ac personas oppresserint, ne vnquam ex loco isto pateat exitus, vtilius est præterire. Hinc illæ tot quærimoniæ infœlicium Ecclesiæ ministrorũ quos audiuimus & cernimus sub importabili iugo iuge portare ministeriũ, immo fame pereuntium. Hinc illæ suspensiones à diuinis, illæ à templi liminibus interdictiones, illa anathemata grauissima totiens exaggerata, quæ non nisi rarissimo vsu & pro horrendo scelere à patribus infligi solebant, cùm per ea homo à fidelium contubernio segregatus, in potestatem Sathanæ redigitur. Sed hodiernis diebus adeo inualuerunt, vt pàssim

ſim pro leuiſſimo, quaſi delicto, ſæpe etiã pro nullo inferantur. Sicq; in nullum timorem, ſed in extremum peruenêrunt contemptum. Hinc præterea illæ tantæ Eccleſiarum ruinæ, illa tot monaſteriorum excidia, illa ſacrarum ædium tot in locis ſolo æquatarum deiectiones, dum ea quæ in illis inſtaurandis ac reficiendis impendi ſolebant, in his tot vectigalibus exſoluendis impenduntur, quinetiam vt compertum eſt, ex illis quibus res accidit, ſacroſanctæ reliquiæ pleriſque in Eccleſijs pro horum redditione tributorum, Cruces, Calices, feretra, aliaq; precioſa ornamenta vænierunt. Quis neſcit tot Abbatibus, totque alijs prælatis, cum deceſſiſſent, Cameræ præ inopia obnoxij, negata funeralia, negata exequiarum ſolennia, negatam humationem, niſi fortè in agris, aut hortulis, aut prophanis alijs ſedibus clanculò tumulati ſint? Coguntur (vt videmus) ſacerdotes præ anguſtia rei familiaris, ſuas villas, ſua loca, ſua beneficia deſerere, & famelici paſſim victũ quæritare, laiciſque hominibus in pro-

phanis officijs ministrare. Tulerunt aliquamdiu hæc onera pingues adhuc & veberes Ecclesiæ, sed iam, verè omnibus lõgo emungendi vsu exhaustis, vltra portare nequeunt.

De litigijs Curiæ Romanæ.

Præterea multa alia me præterire necesse est, si ex hac velim abysso emergere, quot in Romana curia sint (sic namque illam vocabat, quamuis longe à Roma distaret) fraudes? quot dolis? quot calumniæ? quot per illos litium venatores pecuniâ corruptos, contra innocentum iura insidiæ? quot venalia illic iuditia? quãtum ibi aurum valeat ad euertendum iustitiam? quàm raro pauper optatum finẽ de lite referat, si modo aduersarium opulentum nactus fuerit? Cur tam pauci admodum quocunque nituerint titulo absque lite & aduersario beneficium obtineant?

§. Clemens Papa agens Auinione.

De regulis & constitutionibus Cancellariæ.

Nam quid hæ tot nouæ regulæ & cõstitutiones per vnumquemque pontificem editæ, vltraque antiqua iura & paternas sanctiones obseruari iussę, nisi quidam captiosi laquei sunt, atque vberrima

litium

litium materia: quibus illi cauilloſi curiales, ſophiſticiq́ue iurium peruerſores, ad exſuſcitationem infinitarum litium contra ius & veritatem mille nocendi artibus abutũtur, vt vix aliquis inueniatur, etiam ſi titulum ſole lucidiorem demonſtraret, qui abſque controuerſia beneficium tulerit.

Ita namq́ue florere & fœlicẽ eſſe ſuam illam affirmant Curiam, ſi multis vndique cauſis, litibus, querelis & concertationibus, clamore inſaniſſimo perſultet, contra vero inutilem, deſertam, inopem, ſi litibus ſit vacua, ſi pace gaudeat, ſi ſuis poſſeſſoribus ſua pacificè iura permittantur. Nihil itaque hodie vel parum intereſt, quo pacto beneficiũ quis habeat, vtrumne vero oſtio verus paſtor introeat, an doloſè aliunde vel latro irrumpat. Quod ſi explorator aliquis intelligẽs liquidò poſſet diſcrimen vtrorumq́ue internoſcere numerum, quod non eſt apud me dubium, plures nunc latrones in Eccleſia repertum iri quàm veros paſtores, vt iam vera ſit Chriſti ſententia quâ ait ad negotiatores

De proſperitate Curiæ Romanæ.

tiatores de domo ſua eiectos, *Domus mea domus orationis eſt, vos autem eam feciſtis ſpeluncam latronum.*

De ſtatu & introductione Cardinalium.

Iam verò Cardinalium qui Papæ aſſident ſpiritus, verba tumentia, geſtus tam inſolentes, vt ſi artifex quiſque vellet ſuperbię ſimulachrum effingere, nullâ congruentiùs ratione id facere poſſet, quàm Cardinalis effigiem oculis intuentium obiectando, ex ſortis tamen infimę Clericatu in hanc elationem cum ſedis Apoſtolicæ pompatus incremento, peruenerunt: quippe quibus id olim erat negotij vt efferendis mortuis, ſepulturęque mandandis inſeruirent. Nunc vero phylateria ſua in tantum dilatauêrunt, vt non modo Epiſcopos (quos epiſcopellos ſolent paſſim vocare) ſed Patriarchas, Primates, ſed Archipræſules velut infra ſe poſitos deſpiciant, immo ſe iam ab illis ſupplicibus propemodum adorari ſinant, quinetiam reges ipſos æquiparare contendant. Sed hac eorum omiſſa vanitate, quis immenſam & inextricabilem voraginẽ ipſorum concupiſcẽtiæ verbis ęquare valeat? nulla prorſus

prorſus ad hoc verba ſufficiunt, nullum ingenium, nulla facundia. Quoniam de re iſta plenè diſſerere non noſtræ facultatis eſt, pauca ſolum ſummatim attingam ex aceruo grandiſſimo excerpta.

De multitudine beneficiorum Cardinalitiũ & eorum incomparabilitate.

Atque inprimis quantæ illud auiditatis eſt, quòd tantam multitudinem beneficiorum inuicem repugnantium tenent? quod Monachi ſimul & Canonici ſunt, regulares & ſeculares, quod ſub eodem habitu omnium religionum, ordinum, profeſſionum, iura & officia beneficiaq; poſſident? Non quidem duo vel tria, decem vel viginti, ſed centena & ducentena, & interdum vſque ad quadringenta vel quingenta aut amplius. Nec parua vel tenuia, ſed omnium pinguiſſima & optima, quibus ſi contenti eſſent, poſtquam ad ſummã illam numeroſam peruentum eſſet, nec vltra quærerent, proſperè cum pauperibus clericis, qui reliquias eorum expectant, ageretur, ſed quãtumcunque ad numerum aut ſummam venerint, ad ampliorem feſtinant. Nouas indies gratias, nouas cõceſſiones petunt.

Quas cum senserint ad finem properare, integras reformari, aut denuò in maius augeri sine vlla cessatione exposcunt, sic omnia vacantia (quæ alicuius sunt mo-mẽti) amplectuntur, omnia rapiunt, omnia auferunt, nihil omnino, saltem quod fructuosum sit, vel pauculum nimis alijs partiendum relinquitur. Nec tamen illâ vndâ tantâ beneficiorum extinguitur, sed vehementiùs ardet, & arentes animi fauces magis semper accendit, non modo illis fructibus omnium ecclesiarum toto orbe constructarum, sed neque tota auri mole quàm Tagus suis arenis secum vehit, quamq; Pactolus voluit, explebiles.

De contractibus simonaicis.

Cernentes igitur inopes alij & calamitosi ecclesiastici, nihil se posse consequi, sed omni prorsus spe alicuius boni nisi his authoribus, destitutos, non habentes quid faciant, aut quo se vertant, ad hos ipsos se conferunt, & aut cum simonaica prauitate beneficia ab eis mercantur, aut pensione annua (quod æque simonaicum est) ab illis redimunt, aut vestigijs eorum aduoluti, in suam familiam admitti postulant,

ſtulant, vt vel longo famulatu, ſæpe etiam ignominioſo, aliquem in Eccleſia titulum pariant. Nam quid hodierna die eſt quod ſibi aliquis de probis moribus vel eruditione quo promoueri valeat, blandiatur? Non iam his artibus (vt quondam apud maiores fieri ſolitum eſſe accepimus) ad honores Eccleſiæ aſcēditur, ſed illis quas modò retuli, quaſque de ſecularium poteſtatum famulatu & importunis petitionibus paulò pòſt relaturus ſum.

In Monaſterijs autem & locis alijs in quibus beneficia Cardinales occupant, quomodo Deo ſeruiatur, quomodo domus & ædificia labentia reparentur, res ipſa loquitur. Omnia illic corruunt, omnia labuntur, omnia pereunt, adeò vt ſæpè oporteat omnem ab eis adminiſtrationem per laicam manum ſubtrahi, donec reparationes ibi neceſſariæ (quę nunquam aliàs fierent) expletæ ſint. Quomodo ibi viuatur, qualis diſciplina aut regula obſeruetur, nihil ad eos attinet, dummodo ſuorum procuratorum ſolertiâ burſa ſūa nummis multis onuſta, redeat.

De ſtatu beneficiorum Cardinalū.

deat. Sed iam diutius quàm oportuerit, leuiora rerum mediocrium detrimenta querimur, ruinam potiùs vniuerſalis Eccleſiæ, ex dira ambitione horum proborum virorum profectam queramur. Quis enim neſciat feram truculẽtiſſimam omnia exterminantem, conſumentem, profligantẽ, ſectionis ſcilicet ſciſmaticæ horrendam peſtem, per nequitiam Cardinalium in Eccleſiæ gremium iniectam, fotam, auctam, propagatam, tamdiu inueteratam? quæ quantà cum pernicie per tres fermè & viginti annos Eccleſiam omnibus viribus, omni laude, omni honore nudauerit, quantum eam in profundum omnium miſeriarum, malorum dimiſerit, vix Tullius (ſi reuiuiſceret) ſatis eloqui poſſet.

De omiſſionẽ multiplicium vitiorũ Eccleſiæ.

Tranſeo ſimoniacas apud Papam interceſſiones, tranſeo patrocinia venalia, tranſeo corruptiones aut promotiones turpiſſimas & damnatiſſimas, quę omnes ferè iſtis authoribus & ſuaſoribus fiebãt; tranſeo mercedes & ſtipendia temporalium Dominorum, quæ cum maximo

Eccleſię

Eccleſiæ diſpendio cupiebant, vt in eorum negotijs adiutores & curatores & conſiliarij forent, magis illis proculdubio quàm Eccleſiæ conſulentes, immò dum eis placerent, Eccleſiæ incommoda minimè curãtes. Nec enumerare volo eorum adulteria, ſtupra, fornicationes, quibus Romanam curiam etiam nunc inceſtant, nec referre obſcœniſſimam illorum familiæ vitam, à dominorum tamen moribus nullatenus abſonam: ſed nec illud etiam refero, quì vſuras & comercia publicè exercent, quàm mercatoribus ac numularijs ſuas pro mutuò mutuant pecunias, quâ ex cauſâ numularios ſupremæ tabulæ non incongruenter eos quidam vocant. Hæc omnia aliaque permulta etiam grauiora (quæ longa nimium narratione oneroſam redderent orationem) prætereo.

De promotionibus ad inſtantiam principum per Papam ſolitis fieri.

Sed me præterire nõ deceat, priuſquam de hac Curiâ egrediar, quantam & quàm abhominabilem fornicationem Papa & hi ſui fratres, cum ſeculi Principibus inierint. Namq; vt ſua dominia immo vero

vt

vt ſuam tyrãnidem omnibus, nec iniuria, ſupra modum inuiſam, inconcuſſâ ſtabilitate cõfirmare poſſent, ſicq; tuto quodcunque libitum eſſet peragere, temporalium Principum, ad quorum ſe imitationem componere atque conformare in animum induxerant, captare amicitias, fauores conquirere quâcunque poſſent induſtriâ ſtuduêrunt. Nunc multa beneficiorum his pro quibus exegiſſent, largitione, nunc encenijs & donis, nunc promiſſis vberrimis, ſæpe aſſentationibus & Gnathonicæ doctrinæ verſutis fraudulentijs. Itaque ne longum faciam adeo ſe & Eccleſiam vniuerſalem eorum arbitrio ſubiecêrunt atque dediderunt, vt vix aliquam paruulam Præbendam niſi eorum mandato vel conſenſu in prouincijs eorũ tribuere auſi eſſent. Si Epiſcopus aliquis obierat, ſi Decanus vel præpoſitus, vel alia quælibet perſona eccleſiaſtica, aliquis in demortui locum ſurrogari appetens, non prius ad Regem quàm ad Papam ibat, immo verò quis ita inſanus vt abſq; Regijs literis ad Papam poſtulaturus accederet?

cederet? Mirabile dicturus sum, & quanquam vix credibile, veruntamen si quis Papæ necessarius, propinquus, familiaris, aut quolibet alio titulo dilectissimus, pro sua apud eum promotione institisset, regales ante omnia ab ipsomet pontifice iubebatur literas quærere: alioquin se frustra niti, omniaq; tentamenta in vacuum abitura, quantumcunque ad gratiam illi faciendam, Papæ esset procliuis animus. Quàm vero importunè, quàm improbè, quàm manu (vt ita dicam) ensifera terreni ipsi domini per suos solicitati, Papam per suas quotidianas literas vrgebant, nequaquam credibile foret, nisi res vsu assiduo promulgata, certitudinem faceret. Plus enim præceptorijs & comminatorijs scriptis res agebatur quàm commendatorijs vel precatorijs, quibus si detractassent pontificibus obtemperare, & alteri quàm pro quo petebatur contulissent, certum erat illum non recipi. Sic itaque omnes vacantes præsulatus, omnia beneficia fructuosa, secularis illa familia omnium rerum Ecclesiæ mysteriorū ignara,

vi

vi atque importunitate extorquebat, nulli eruditi viri (de literarum ſacrarum eruditione loquor) nulli probi, iuſti, virtuoſi, qui Curiarum limina rariùs terunt, ad ſuprema dignitatum faſtigia veniebant: ſed ambitioſi quiquè, ſed adulatores, ſed hiſtrionici, ſed omnibus vitijs imbuti, quales in aulis Principum frequentes conſpicimus. Nam quotuſquiſquè hodie eſt ad pontificale culmen euectus, qui ſacras, vel perfunctoriè, literas legerit, audierit, didicerit, immo qui ſacrum codicem niſi tegumento tenui vnquam attigerit, cùm tamen iureiurando illas in ſua inſtitutione ſe noſſe confirment? Aut pontificia tenent homines ignari & illiterati, aut ſi qui literati ſunt, hi ſolummodo temporalia Imperialium legum præcepta ſacerdotibus interdicta, lucroſaſque ſcientias ſecuti ſunt: nihil omnino de lege diuina vel ſpirituali eruditione quâ plebs ad ſalutem erudienda eſt, ſentientes.

Quòd cõgregatio pecuniæ eſt præcipua cura prædictorum Prælatorum.

Igitur iuxta morem ſuarum profeſſionum, ſummo vndique ſtudio ad lucrum inhiant, non quidem animarum, ſed crumenarum

menarum potiùs quęſtum vbique explorant, quæſtum flagrant, quæſtum pietatem putãt, nihil omnino agunt, niſi quod ad colligendam quacunque ex occaſione pecuniam ſuffragari poſſe crediderint, pro ipſa altercantur, certant, iurgantur, litigant, multò æquanimiùs laturi iacturam decem millium animarum, quàm decem vel duodecim ſolidorum. Sed me iure reprehendo qui æquanimiùs dixi, cum nullo animi motu vel turbatione, animarum diſpendia, de quibus non modo nulla apud eos cura, ſed neque cogitatio eſt, excipiant, damna vero ſuæ rei familiaris etiam leuia, furiatâ prope mente ſuſtineant. Denique ſi quis fortaſſis paſtor ſurrexerit qui non hoc more incedat, aut qui pecuniam contemnat, aut auaritiam damnet; qui deniq; non omni via ſeu iuſta ſeu iniqua, aurum à ſuis ſubditis extorqueat, aut ſalutari exhortatione vel prædicatione animas lucrifacere ſtudeat, & plus in lege Domini quàm in legibus hominum meditetur, extemplo in morſus ipſius omnium dentes acuentur.

tur. Illum prorsus ineptum, nec dignum sacerdotio clamitabunt: quippe qui legum humanarum nescius, iura sua defendere non idoneus sit, suos subditos regere, mulctare & coercere per Canonicas censuras non nouerit, nihilque aliud didicerit, nisi inerti etiam otio aut fermocinationi incumbere, quæ officia mendicantium palam esse astruunt, nullâ temporali curâ vel administratione, quæ vtiliori occupatione suos animos teneat, fũgentium. Iam itaque sacrorum eloquiorum studia cum suis professoribus in risum atque ludibriũ omnibus versa sunt, & pęrsertim quod magis prodigiosum est pontificibus, qui suas traditiones, diuinis longè mandatis anteponunt. Iam illud egregium & præclarissimum prædicandi officium solis quondam pastoribus attributum, eisque maxime debitum, ita apud eos viluit, vt nihil magis indignum aut magis suæ dignitati erubescendum existiment.

De vitijs Prælatorum. Sed ecce dum animaduerto proprias Curiæ Romanæ ægritudines ad ea (quæ vna

vnà ſecum alijs etiam prælatis communia ſunt) vitia delapſus ſum, quæ tamen magis in peculiari (quia locus incidit) ſuccincta relatione pertractare volo. Principio nulli debet alienum vel mirum videri, ſi corradendis omni ex parte pecunijs noſtri prælati ſummopere inuigilent, ſi macri, tenues, atque inaniti ſucco lanâ & lacte ſuarum ouium ſe incraſſere ſtudent, quibus paſtores fieri tam charò conſtitit. Muſcæ enim (vt in prouerbio eſt) macie confectæ aſperiùs mordent: cuncta quoque animantia eſurie inanita auidiùs in prædam feruntur. Quamuis enim ante ſuſceptam curam paſtoriam locupletiſſimi eſſent (neque ad hoc indigentes ſolent admitti) tamen ex miniſterio ſibi collato ſuos ſaltem maximâ ex parte euacuari loculos oportuit, quare æquè non immeritò ſummo iterũ labore replere inſiſtunt. Exemplóque ſapientis agricolæ vt cum cremento, & grandi fœnore iacta ſemina colligere, & iterum recuperare imminutam ſubſtantiam & ſedulò ampliare poſſint, more vigilantiſſimi negotiatoris

vniuersas merces suas omnibus qui eis indigent, venales ponunt. Si quis apud eos clericus, pro furto, pro homicidio, pro raptu, aut sacrilegio, aut alio quouis enormi crimine in carcerē coniectus sit, tenebrisque & aquæ edulio addictus, tamdiu pœnæ subiacebit, & tanquam reus sua commissa luet, donec pro modo sui census, aut suorum, quæsitam á se pecuniam persoluerit, vbi vero id egerit, liber & velut innocens abire sinetur. Omnis noxa, omnis error, omnia maleficia, etiamsi capitalia sint, per pecuniam laxantur, ac delentur. Nam quid loquar de exercitio suæ iurisdictionis? quæ ita violenter & tyrannicè regitur, vt magis hodie homines eligant tyrannorum immanissimorum, quàm subire iudicia Ecclesiæ.

De promotionibus iurisdictionis Episcoporum, & eorum abusibus.

DIci non potest quanta mala faciant illi scelerati exploratores criminum, quos

quos *Promotores* appellant, ſimplices & pauperculos agreſtes vitâ ſatis innocuam in ſuis tugurijs agentes, & fraudis vrbanę neſcios, in ius ſæpè pro nihilo vocant. Cauſas & crimina contra eos ſedulò confingunt, vexant, terrent, minitantur, ſicq; eos per talia ſe componere, & paciſci cogunt: quod ſi facere renuant, crebris eos citationibus, quotidiéque impetunt, & ſupra modum infeſtant. Quod ſi ſemel qualibet occaſione præpediti comparare deſierint, cenſurâ illicò anathematis, vt rebelles & contumaces feriuntur. Si verò ad diem venire, quoties vocati erunt, perſeuerauerint, eorum audientias apud iudicum tribunalia impedient, moráſque & ſubterfugia dilationum & interlocutionum captabunt, quæ perfacilè à foris Eccleſiaſticis obtinentur, quo vel ſic longo tœdio, longâque ſui temporis iacturâ fatigati, ſuperuenturam vexationem atq; impenſam, pecuniæ pactione redimere cogantur, ne ſi pro leui delicto, nullo vel pro exiguo debito, infinitarum cumulus expenſarum.

De exactionibus pro concubinis tolerandis.

Iam illud obſecro quale eſt quod plęriſque in Diocœſibus, rectores parochiarum ex certo & conducto cum ſuis Prælatis precio, paſſim & publicè concubinas tenent: quòd ſubditorum exceſſus & vitia, omniáque officia, quæ iudicijs pręeſſe ſunt ſolita, publicè venundant? ſed ad ea, de quibus diximus & dicemus, bona ſunt hæc.

De collatione ſimoniaca ſacrorum ordinum.

Illud verò quomodo ferendum, quòd nullus ad clericatum, vel ad ſacrum ordinem, vel ad quemcunque gradum Eccleſiaſticũ, niſi mercede accedit? quòd nulli ſacramentalem gratiam requirenti manus imponunt, niſi qui certum antea pręcium dederit, quòd omnes confeſſiones, abſolutiones, diſpenſationes, venales faciunt? quòd ſi aliqua beneficia ſuæ ſint diſpoſitioni deuoluta pro quæſtu ea conferunt, vel ſuis ea ſpurijs aut hiſtrionibus donant, aut ſi quis forſan eis illud Euangelicum obiecerit, *Gratis accepiſtis, gratis date*, non deeſt quod illico reſpondeant, ſe minimè gratis accepiſſe: quare nequaquam aſtringi ex verbo illo vt gratis tribuant.

Illos

Illos denique ſolos antiſtites eſſe aiunt, qui iſtiuſmodi ſint ſententia ligati, qui paſtorale officium abſque vllo ſuo diſpendio ſortiti ſunt.

Non eſt igitur quod quiſquam (niſi à vero valdè deuius) gratiam putet ab æquo tribui, quomodo enim gratia ſi non gratis data? niſi falſò putabimus, magum illum peſtiferum dira maledictione à Petro reprehenſum, qui donum Dei pecuniâ poſſideri exiſtimauerat. Ex iſto autem fonte profluit illa copioſa vilium atque indigniſſimorum Præsbiterorum multitudo: vt enim ex ſuis ordinibus maiora lucra percipiant, omnes quotquot aduenerint, nullo aut paruo admodum diſcrimine, ad eos, quos petierint, titulos admittunt, niſi fortè ſi qui adeo egeſtate premuntur, vt ſoluendo non ſint. Nulla de vitâ anteactâ percunctatio eſt, nulla de eorum moribus quæſtio. De literis verò & doctrinâ quid loqui attinet cum omnes ferè presbyteros ſine aliquo captu, aut rerum, aut vocabulorũ, moroſè ſyllabatímque vix legere videamus? De indignis & indignè promotis.

Quem ergo fructum, quam exauditionem ex suis orationibus, siue sibi, siue alijs impetrabunt, quibus barbarum est quod orant? Quomodo per suas preces Dominum alienis propitiabunt, quem sibipsis suâ ignoratiâ & suæ fœditate vitę per suum ministerium, infensum faciunt? Si quis hodie desidiosus est, si quis à labore abhorrens, si quis in ocio luxuriari volens, ad sacerdotium conuolat, quo adepto, statim se cæteris sacerdotibus voluptatum sectatoribus adiungit, qui magis secundum Epicurum quàm secundũ Christum viuentes, & cauponulas seduli frequentantes potando, commessando, pransitando, conuiuando, cum tessaris & pila ludendo, tempora tota consumunt: crapulati verò & inebriati pugnant, clamant, tumultuantur, nomen Dei & Sanctorum suorum pollutissimis labijs execrantur: sicque tandem compositi, ex meretricum suarum complexibus ad diuinum altare veniunt.

De perpetua absentia Prælatorum ab ecclesijs suis

Sed redeo ad nostros Episcopos, qui in omni lubricitate ab incunte adolescentiâ

tiâ educati, tales teſtes, vt ita dixerim, Miniſtros in Eccleſiam introducunt, quorum geſta memorabilia. Illud à me prætermitti non debet quod multi ex eis qui paſtorali apice potiuntur, perque annoſa tempora potiti ſunt, nunquam ciuitates ſuas intrauêrunt, ſuas Eccleſias vidêrunt, ſua loca vel diocœſes viſitauêrunt, nunquam pecorum ſuorum vultus agnouêrunt, vocẽ audiêrunt, vulnera ſenſêrunt, niſi ea forte vulnera quæ ipſi ſuis vberibus ſpolijs per alienos mercenarios eis intulerunt. Alienos dixi, quia & ipſimet mercenarij ſunt, qui non gregis ſui cuſtodiam, ſalutem, profectum quærunt, ſed ſolùm temporalis mercedis retributionem. Itaque ipſi verè ſunt mercenarij, tantum Epiſcopi habentes nomen, quia res per nomen ſignata procul abeſt. Nomen etenim Epiſcopi ſpeculatorẽ ſonat vel ſuperintendens. *Speculatorem* (inquit Propheta) *poſui te domui Iſrael.* Hi verò ſuper ouium profectu nihil prorſus intendunt, nihil ſpeculantur, nihil proſpiciunt, ſui corporis curam agunt, ſeſe &

non oues pascunt, non magnopere pensantes, quis ouibus casus accidat, vtrum morbo vel ieiunio consumptæ pereant, dum sibi vel ex earum morte capessant.

De Prælatis in cuius principum residentibus.

At enim dicet forsan aliquis, iure eis ignoscendum est si rarò suas Diocœses adeant, aut suas tardiùs reuisant plebeculas, quoniam pro consilio à principibus accersiti magna regni negotia tractant, innixamque suis humeris rempublicam regunt, tutantur, sustinent, alioquin grauissimè collapsuram, quod vtique laudibilius videtur esse quàm suæ priuatæ rei consulere. Primum illud nequaquam eis dederim, quòd ipsi vltro à principibus tanquam consiliarij euocentur, quin imo magnis sumptibus, amicorumque intercessionibus hoc impetrant, non quidem zelo aliquo vel curâ reipublicę, cuius nulla apud eos charitas est, sed propter stipendia & larga munera quæ exinde eis proueniunt, vt alieno sumptu viuentes suarum prouentus Ecclesiarum in ærariâ recondant. Denique qualem reipublicæ languenti immo extinctæ & iam prope sepul-

ſepultæ vtilitatem afferunt? vtinam nullam ei perniciem afferrent. Numquid eâ re quæſo proſunt quòd omnium tributorum onera, quibus hodierna tempeſtate populus vrgetur, ſuis calliditatibus & ſuggeſtionibus reperiunt, & reperta cumulant, & tam in longum perdurare faciunt? vnde & iampridem vſus in regno iſto inoleuit, quòd aliqui Epiſcopi taliũ exactionibus præſunt, de cauſis etiam & querelis eorum decernunt. Num idcirco proſunt quod ad concionem vocati, & ſuam iuſſi dicere ſententiam, magis ea quę principi ſciunt placitura quã reipublicæ profutura perſuadẽt? quod ſępe largitione, ſæpe gratiâ, ſæpe odio, ſæpe etiã timore ducti non iuſta, vera, ſincera, ſed peruerſa atque noxia fallacibus adoperta blanditijs dominorũ auribus ſuggerunt? Porro an eâ re adiuuãt rempublicã quòd rectoribus eorũ qui eam adminiſtrãt annonã, & priuatè ſuper annonã cõmunẽ inculcant: quòd enim ipſi faciunt, conſequens eſt, vt conſulti alios etiam facere hortentur, ne turpi inter ſe pugnâ, verba

eorum

eorum atque acta dissideant. Denique quis ex illis pauperum defensator est? quis afflictorum cõsolator? quis oppressorum subleuator? quis pro pupillo patronus? quis pro inope viduâ contra calumniatorem protector? immo vero quis magis à compassione atque miseratione quorumlibet miserabilium alienus? Pulchrè de eis Esaias & verè loquitur sub imagine principum Synagogæ: quorum isti etsi successores tempore, in flagitijs iure tamen forte præcessores dici possunt. *Principes* (inquit) *tibi infideles socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos.*

Quòd tales prælati mercenarij dicendi sunt.

Mirum autem quid illud sibi velit, quòd nunc ferè qui libet Pontifex ab ecclesiâ, cui præsidet, sex vel septem aut decem millia aureorum annuatim accipiat, à rege verò pro stipendijs mille ad summam aureos, suæ tamen ecclesiæ & ouilis sibi crediti curam pro regni famulatu derelinquit: nonne saltem vt mercenarius danti maiorem mercedem seruire debebat

debebat? Sed illorum ad hæc reſponſio in promptu eſt : licèt enim amplius ſit quod eccleſia tribuit, quàm quod princeps, attamen munus illud cum maiori adiunctum ſummam cumulatiorem cõſtituit, duóque bona potiora ſunt vno. Denique fructus qui à rege præbentur, niſi regio lateri aſſiſtant, ſciunt ſibi non datum iri, at illos qui ex ipſis veniunt, longè etiam poſitis & ab omni ſeruitio immunibus nihilominùs tribui. Quid quòd ſuam promotionem rege inſtante factam, regi ipſi & non Deo, nec eccleſiæ imputant? Quapropter vt grati homines illius per quem gratiam adepti ſunt, nequaquam immemores, ei meritò libentiùs ſecundum viciſſitudinem obſequij, quã illis referunt. Quid quòd regibus ſeruire & non Deo nec eccleſiæ didicerunt? Quid quòd nõ intentione alicuius officij in Eccleſia exercendi, ſed quietis & inertiæ in maiori abundantiâ conſectandæ, Mitram quęſiêrunt? Quid quòd propter aſſueta ſtipendia multa apertè minima, multa etiam apertè exilia importunitate aſſequi

assequi sperant, quæque in suis ecclesijs seruientes non assequerentur. At saltem inquies suis illic ecclesijs ne grauentur aut opprimantur, subueniunt: immò suas & alienas ipsi opprimunt, dum pro arbitrio sæcularium potestatum tributa super eas annuunt. Ne enim ab optimatibus, quorum negotia agitant, consiliaq; frequentant, ecclesijs plus iusto fauere arguantur, quotiens de re ad ecclesiam pertinente agi cõtigerit, grauius aduersus illam quàm aliquis secularium, insultant. Rara his calamitosis afflictio quæ non à suis filijs originem trahat.

Quod vtilior est talium Prælatorum absentia à suis ecclesijs quàm præsentia.

Sed quid eorum tantopere à suis sedibus absentiam accusamus, cùm per suã, si illic adessent, præsentiam verisimiliùs obesse quàm prodesse possent? Quid enim (oro) illi prosunt qui toto elabente anno suam bis aut ter intrant ecclesiam? qui totos in aucupio & venatu in ludis & palestra dies agunt, qui noctes in conuiuijs accuratissimis, in plausibus & Choreis, cum puellis etiam effœminati insomnes transeunt, qui suo turpi exemplo gre-

gregem per deuia abducunt in præcipitium, qui imberbes adhuc adolescentuli, vix ferulam egressi ad pastorale conuolant magisterium: & tantundem de illo quantum de nautico sciunt officio? Difficile itaque satis est statuere, qui eorum magis incommodent suo gregi, hi-ne, qui deserto eo, lupisque exposito, cum scurris & parasitis in aula versantur, an hi potiùs qui coram positi eum per rapinam vexant, per incuriam negligunt, per errorem præcipitant. Quamuis enim mercenarios vtrosque iure optimo appellauerim, pro re tamen minùs parum dixi: lupi ambo accommodatiùs dicendi sunt, vtrique enim quod lupi est, agunt, vorant, dispergunt, lacerant, diripiunt, hi quidem per seipsos, illi verò pro seipsis per alienos. Sentio me diutiùs quàm initio putaueram his nostrorum angelorum (ita enim sacræ literæ præsules appellant) præclaris ministerijs immoratum, sed tantæ rerum multitudini, quàm breuiori compendio percurrere mihi commodè non licuit, ignosci oportet. Reliqua si per singula

gula referentur, ſunt multa, ſed ea paucis in generali expediam.

De Capellanis & Canonicis.

Quid enim de capellanis & canonicis longum me trahere ſermonẽ neceſſe eſt? cùm vno verbo dicere liceat ſimiles Epiſcoporum pro ſuo modo Canonicos eſſe, indoctos, ſimoniacos, cupidos, ambitioſos, obtrectatores ſuæ vitæ negligentes, alienæ curioſos ſcrutatores ac reprehenſores: ad hoc autem ebrios, incontinentiſſimos, vtpote qui paſſim & inuerecundè prolem ex meretricio ſuſceptam, & ſcorta, vice coniugum, domi teneant: vaniloquos, præterea garrulos, tempus in fabulis & nugis terentes, quia nihil vtile nouerunt, aut honeſtum in quo occupentur. Et propterea in re ſua, ſeu per fas, ſeu nefas agenda, in cura ventris & gulæ, in carnis voluptatibus hauriendis ſuæ vitæ fœlicitatem vt porci Epicuri conſtituunt.

De pace & fraternitate Canonicorũ

Quam vero pacem inter ſe habeant, aut quam fraternitatem, declarant ſectæ & ſeditiones, omnibus modò in Eccleſijs per infernales furias excitatæ, vt iam illa infer-

infernalis hydra ſchiſmatica in Eccleſiæ vertice ab Erynnibus ſtabilita, nimia fœcunditate germinans, omnia ferè collegia ſuo viperino ſemine infecerit.

Et hos ergo Canonicos aliquis vocabit qui ſic ab omni Canone, hoc eſt ab omni regula, abalienati ſunt? qui vt licenter & impunè omnia, quę ferret animus, flagitia admittere poſſint, ab omni ſe caſtigatione & diſciplina ſuorũ prę latorum, maxima vbique redemptione exemerũt: fraudant itaque mutuò, fraudant pauperes, fraudant ſubditos: & ſicut Paulus loquitur, *Iam inter diſpenſatores Eccleſiarũ merito quæritur vt fidelis quis inueniatur:* quas omnes fraudes & rapinas cum fecerint, non eſt qui eos puniat. Ad Papam enim, quem ſolum iudicẽ plerique eorum ſe habere iactant, non patet facilè pauperi acceſſus.

De cauſa exemptionum procurationũ vitanda.

De Monachis autẽ & Monaſterijs latè patet ad loquendum materia, niſi iam me dudum tœderet in tot tantarumque abominationum enumeratione demorari, ne tamen ſicco (vt aiunt) pede intacti

De vita & moribus monachorũ ſuæ profeſſioni repugnantibus.

cti abeant paululum aliquid dicere necesse est. Quid autem commendabile de ipsis dicere possumus, qui quanto magis inter cæteros Ecclesiæ filios ex votis suæ religionis perfecti esse debebant, tanto magis abstracti curâ secularium, quibus abrenunciauerunt, in sola cœlestium cõtemplatione suspensi, & quanto magis continentes, magis obedientes, minus vagabundi, & à claustrorum septis rariùs egredientes in publicum, tanto ab his omnibus rebus licet eos videre magis alienos, magis videlicet tenaces, magis auaros, magis sæculari rei (versis retrorsum animis) immixtos? magis insuper lubricos, indisciplinatos, dissolutos, inquietos, magis per loca publica & inhonesta (si modo fræna laxentur) discurrentes, ita vt nihil illis æque odiosum sit, quàm cella & claustrum, lectio & oratio, regula & religio. Quocirca monachi quidẽ sunt exteriori habitu, sed vita, sed operibus, sed internè conscientiæ spurcitia à perfectione (quam habitus ille demonstrat) longissimè disiuncti. Fallit autẽ illos nimium

ſua opinio. Nam quanto ſua profeſſione reiecta, terrenis magis adipiſcendis inhiant, tanto pauciora habent, tantoque dotes & redditus ipſorum magis ſemper in nihilum fluunt. Ecce omnium Cœnobiorum vberrimos olim fructus, ita hodiè attenuatos cernimus, vt vndè centum homines viuere ſolebant, vix decem nunc egerrimè viuant, videmus omnia labi, omniaque ſolo æquari, non ſuppetente copia quâ ſaltem antiqua ædificia à ruinę defendantur iniuria, quod quidem merito illis euenit. Quamdiu enim iuſtè, ſobriè, caſtè, innocenter vivendo ſecundũ regulæ ſuæ inſtituta, regnum cœlorum & non hæc temporalia quærere ſtuduêrunt, tam diu eis omnia illa ſatis ſuperque fuerunt adiecta. *Primùm* (inquit Saluator) *quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Vbi verò à vitæ innocentia, & à quærendo regno Dei, per nefaria opera deſtitêrunt, rectè ab eis illa abducta ſunt, quæ veris iuſtitiæ cultoribus, regnique quæſitoribus fuerãt promiſſa. Regnum (inquit hiſtoricus)

gula referentur, sunt multa, sed ea paucis in generali expediam.

De Capellanis & Canonicis.

Quid enim de capellanis & canonicis longum me trahere sermonē necesse est? cùm vno verbo dicere liceat similes Episcoporum pro suo modo Canonicos esse, indoctos, simoniacos, cupidos, ambitiosos, obtrectatores suæ vitæ negligentes, alienæ curiosos scrutatores ac reprehensores: ad hoc autem ebrios, incontinentissimos, vtpote qui passim & inuerecundè prolem ex meretricio susceptam, & scorta, vice coniugum, domi teneant: vaniloquos, præterea garrulos, tempus in fabulis & nugis terentes, quia nihil vtile nouerunt, aut honestum in quo occupentur. Et propterea in re sua, seu per fas, seu nefas agenda, in cura ventris & gulæ, in carnis voluptatibus hauriendis suæ vitæ fœlicitatem vt porci Epicuri constituunt.

De pace & fraternitate Canonicorū

Quam vero pacem inter se habeant, aut quam fraternitatem, declarant sectæ & seditiones, omnibus modò in Ecclesijs per infernales furias excitatæ, vt iam illa infer-

infernalis hydra ſchiſmatica in Eccleſiæ vertice ab Erynnibus ſtabilita, nimia fœcunditate germinans, omnia ferè collegia ſuo viperino ſemine infecerit.

Et hos ergo Canonicos aliquis vocabit qui ſic ab omni Canone, hoc eſt ab omni regula, abalienati ſunt? qui vt licenter & impunè omnia, quę ferret animus, flagitia admittere poſſint, ab omni ſe caſtigatione & diſciplina ſuorũ prę latorum, maxima vbique redemptione exemerũt: fraudant itaque mutuò, fraudant pauperes, fraudant ſubditos: & ſicut Paulus loquitur, *Iam inter diſpenſatores Eccleſiarũ merito quæritur vt fidelis quis inueniatur:* quas omnes fraudes & rapinas cum fecerint, non eſt qui eos puniat. Ad Papam enim, quem ſolum iudicẽ plerique eorum ſe habere iactant, non patet facilè pauperi acceſſus.

De cauſa exemptionum procurationũ vitanda.

De Monachis autẽ & Monaſterijs latè patet ad loquendum materia, niſi iam me duduni tœderet in tot tantarumque abominationum enumeratione demorari, ne tamen ſicco (vt aiunt) pede intacti

De vita & moribus monachorũ ſuæ profeſſioni repugnantibus.

cti abeant paululum aliquid dicere necesse est. Quid autem commendabile de ipsis dicere possumus, qui quanto magis inter cæteros Ecclesiæ filios ex votis suæ religionis perfecti esse debebant, tanto magis abstracti curâ secularium, quibus abrenunciauerunt, in sola cœlestium cõtemplatione suspensi, & quanto magis continentes, magis obedientes, minus vagabundi, & à clausſtrorum septis rariùs egredientes in publicum, tanto ab his omnibus rebus licet eos videre magis alienos, magis videlicet tenaces, magis auaros, magis sæculari rei (versis retrorsum animis) immixtos? magis insuper lubricos, indisciplinatos, dissolutos, inquietos, magis per loca publica & inhonesta (si modo fræna laxentur) discurrentes, ita vt nihil illis æque odiosum sit, quàm cella & clausſtrum, lectio & oratio, regula & religio. Quocirca monachi quidẽ sunt exteriori habitu, sed vita, sed operibus, sed internè conscientiæ spurcitia à perfectione (quam habitus ille demonstrat) longissimè disiuncti. Fallit autẽ illos nimium

sua opinio. Nam quanto sua professione reiecta, terrenis magis adipiscendis inhiant, tanto pauciora habent, tantoque dotes & redditus ipsorum magis semper in nihilum fluunt. Ecce omnium Cœnobiorum vberrimos olim fructus, ita hodiè attenuatos cernimus, vt vndè centum homines viuere solebant, vix decem nunc egerrimè viuant, videmus omnia labi, omniaque solo æquari, non suppetente copia quâ saltem antiqua ædificia à ruinę defendantur iniuria, quod quidem merito illis euenit. Quamdiu enim iustè, sobriè, castè, innocenter vivendo secundũ regulæ suæ institutã, regnum cœlorum & non hæc temporalia quærere studuêrunt, tam diu eis omnia illa satis superque fuerunt adiecta. *Primùm* (inquit Saluator) *quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Vbi verò à vitæ innocentia, & à quærendo regno Dei, per nefaria opera destitêrunt, rectè ab eis illa abducta sunt, quæ veris iustitiæ cultoribus, regnique quæsitoribus fuerãt promissa. Regnum (inquit historicus)

facilè idem artibus retinetur, quibus initio partum est, verùm vbi pro labore, desidia, pro continentiâ & æqualitate libido atque superbia inuasêre, fortuna simul cum moribus immutatur. Et quod de regno dictum audis, de opibus & honoribus cœteriſque fugacibus bonis dictum intellige.

De mendicantibus & eorum inani iactantia & gloria.

Venio nunc ad mendicantes, qui ex professione arctissimè paupertatis veros se Christi discipulos, verosque imitatores esse iactant, atque gloriantur: quippe qui considerantes (vt ipsi aiunt) illud euangelicum, *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & sequere me.* Et item illud: *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus:* omnium possessionum suarum rerumque temporalium spretâ sarcinâ, onereq; grauissimo. Qui eruditi præterea in diuinis literis, quibus penè soli hodiè insudant, pabulum verbi Dei, quo populi reficiantur, assidua prædicatione ministrant, viam eis salutis æternæ, quam nemo alius docet, aperiunt, iustorum di-

gna

gna præmia impiorumque ſupplicia demonſtrant, ſicq; animas ab interitu ſempiterno per veram pœnitentiam reuocatas ad Deum conuerti faciunt. Denique ſoli ipſi (vt aſſerunt) cæterorum omnium eccleſiæ ſegniter dormitantium officia peragunt, exercent, eorumque delicta, ignorantias & negligentias ſupplent.

Quæſtio de perfectione mendicantium.

Sed libet ab eis quærere ſi hunc gradum ſupremæ perfectionis Chriſtoque propinquiſſimę attigerunt, quid eſt quod ſuis eam verbis ita magnificant, quod inſolenter adeò inde ſe iactant, quod vniuerſis propterea vanâ gloriatione ſcripſerunt, immò quod alios omnes ſui ſtatus comparatione ab omni perfectione euacuunt? Decebat enim vt alieno ore & nõ proprio ſuo, illa ætherea & angelica in terris perfectio laudaretur, ſi modò ſolidam laudem non vanam, ſuſpectam, odioſam cupiebant. Nonne hæc eſt perfectorum vera iuſtitia, vt nunquam arbitrentur ſe perfectos, immò verò quo iuſtiores fuerint, eò magis in humilitate de ſe ſentientes longè ſe à iuſtitia abeſſe exiſtiment?

ſtiment. Nam dum de eo, quod habere ſe præſumunt inaniter ſuper ſe efferuntur, & id ipſum quod habebant (ſi quid tamen virtutis habebant) euaneſcit.

Quòd humilitas eſt fundamentũ perfectionis.

Nonne humilis Publicanus ſua Deo peccata confeſſus iuſtificatus à templo redire meruit, & quam orabat veniam impetrare. Superbè autem Phariſæus ſua merita prædicans, & pauperculum deſpiciens reprobus abſceſſit, & inexauditus: quoniam Deus ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam. Videtur autem hæc parabola, contra hos quæſtuarios verbi Dei adulatores congruentiſſimè inducta, quia ſicut ſynagoga ſuos Phariſæos habuit, aduerſus quos in Euangelio acerrimè Chriſtus ſemper inuehit, ita nimirùm hi noui & ſubintroducti Apoſtoli, Eccleſiæ Phariſæi cenſendi ſunt, quibus omnia Chriſti de Phariſæis dicta & fortè alia plurima, neſcio an detriora, conueniunt, de quorum ſacrilega impietate, quia non multa breuiandi ſtudium dicere concedit, paucas Chriſti ſaltem ſententias: per quas ab eorum inſidioſa verſutia nos cauere

cauere admonet, audiamus. Ait itaque de eis Saluator, ipſorum fontem patefaciens nequitiæ: *Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Et rurſum: *Attendite à falſis Prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.* An non lupi rapaces ſunt velamina ouium geſtantes: qui omnia quæ huius mundi ſunt, verbo ſuo deſeruiſſe aſſeuerant, facto autem ipſo temporalia incredibili ardore concupiſcentiæ, inſidijs, fraudibus atque mendatijs vndique exquirunt? An non lupi rapaces ſunt ouicularum vellere amicti, qui vitæ auſteritatem, caſtitatem, humilitatem, ſanctam ſimplicitatem exteriori ſpecie ſimulant, intùs verò exquiſitiſſimis delitijs & variarum copiâ voluptatũ vltra omnem mundanorum luxuriam exuberant? An non lupi rapaces ſunt ſub ouili imagine latitantes, qui more ſacerdotum Belis in ſuis penetralibus oblata deuorant, mero ſe ac lautis epulis cum non ſuis vxoribus, licèt ſæpè cum ſuis paruulis, auidè ſatiantes. Cunctaque libidinibus, quarum torren-

tur ardore polluentes? An non lupi rapaces ſunt foris ouẽ mentientes, qui ea quæ facienda ſunt, dicunt & non faciunt, & cũ alijs prædicauerint, ſuâ ipſâ prædicatione reprobi efficiuntur? An non lupi rapaces ſunt ouium ſimilitudinem falsò prætendentes, qui Angeli lucis primo aſpectu appareant, non ſathanæ, tamen (vt Pauli verba ſunt:) *Non Chriſto Domino, ſed ſuo ventri ſeruiunt*, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium? Sed audi adhuc quid de illis ad propoſitum Saluator dicat: *Væ vobis ô Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui mundatis quod de foris eſt calicis & parapſidis, intùs autem pleni eſtis rapina & immunditia, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus ſpetioſa, intùs verò plena ſunt oſsibus mortuorum & omni ſpurcitia.* Quid de eis verius dici poteſt, quid aptius, quid lucidius, quàm quòd cœleſti ore dictum audis? Sed & Paulus gentium Doctor prænoſcens in ſpiritu talium circa extrema tempora ſubuerſorum ingreſſum, & Eccleſiam per eos multa tandem

tandem vulnera ſenſuram ad Timotheū ſuum ſcribens illos ſummo ſtudio declinandos hortatur. Nam poſtquam dixerat: *Hoc autem ſcito quòd in nouiſsimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi*, & multa quæ his addit ab his ſeductoribus non abhorrentia, tandē quod eis eſt proprium ſubtexuit, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, & hos deuita. Ex his enim ſunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs deſiderijs ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Rurſus quod idem Apoſtolus ad eundem ſuum diſcipulum loquens: *Spiritus* (inquit) *manifeſtè dicit, quia in nouiſsimis temporibus diſcedant quidem à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatā habentiū ſuam conſcientiā*, quæ nemo ambigere debet de his nouis Phariſæis

esse scripta. Multa quoque alia de istorum pseudoprophetarum aperta iniquitate, quâ domum Dei perfodiunt & polluunt, sacra in pluribus locis Scriptura commemorat, satis eorum perfidiam quãtum ad nostram pertinet breuitatem detegere videtur: de quâ si quem libeat ampliora agnoscere, *Cyrillum* videat, & illic mira de eis inueniet, ad fidelium institutionem longè antequàm orirentur, Spiritu sancto reuelante, prædicta. Quanquam nec aliquot alij scriptores etiam defuêrunt, qui de his subdolis illusoribus multa valdè vtilia & præclara post eorum introitum ad Ecclesiæ præmunitionem & prę̃monitionem prodiderunt.

De impudica vita & conuersatione monialium.

Restant nunc solæ Moniales, vt nostram narrationem quemadmodum polliciti sumus à summo capite vsque ad extrema vestigia nullo prętermisso gradu deducamus. De his autem plura dicere (etsi plura quæ dici possent, suppetebant) verecundia prohibet, ne non de cœtu virginum Deo dicatarum, sed magis de lupanaribus, de dolis & procacia meretri-

meretricum, de ſtupris & inceſtuoſis operibus pudendum ſermonem prolixè trahamus. Nam quid obſecro aliud ſunt hoc tempore puellarum monaſteria, niſi quædam, non dico Dei ſanctuaria, ſed Veneris execranda proſtibula, ſed laſciuorum & impudicorum iuuenum ad libidines explendas receptacula, vt idem hodiè ſit puellam velare quod & publicè ad ſcortandum exponere? Hæc ſunt quæ de noſtro Clero referenda viſa ſunt, quãuis multa ſciens præterij, & ſilentio ſuppreſſi, quæ ſi per ſingula amplecti vellem & in immenſum res progrederetur, nec modum habitura eſſet oratio. Quæ cùm ita ſint, nemini debet mirum videri, ſi Eccleſia ex talibus aggregata, multis moleſtiarum aculeis, multiſque aduerſis turbinibus quatitur. Mirum potiùs & ſtupendum videri debet, ſi tot vitijs atque impuritatibus ſeruiens, à flagellis immunis euaderet.

Comparatio virorũ modernorum, cum moribus priſcorum Patrum

I nunc, & confer hanc vitam, hos mores, hæc regimina, cum primæua patrum diſciplina, cum Maiorum charitate, continen-

tinentia, ſobrietate, diſtricta ſeueritate, videbis (niſi talpa cæcior es) tantam inter eam diſtantiam, quantum inter lutum & aurum, iam ſiquidem his diebus noſtris, in quos fines ſæculorũ deuenêrunt, ab aureo capite illius prægnandis ſtatuæ, quam vidit in figura *Nabuchadoneſer*, paulatìm ſemper in deteriora per argentum, æs & ferrum, prolabendo, ad partem pedum luteam ac fictilem peruenimus.

Conuerſio Authoris ad Deum.

Ita verò (Deus optime) vineam tuam electiſſimam quam tua olim dexterâ ipſe plantâſti, cui ſæpè & combuſtam maceriam ad ferarum malignarũ coercendam incurſionem circundediſti, itáne inquam deſtructâ ſæpè, dirutâ maceriâ deſpectã ac degenerem effectam? ita ne vepribus & ſpinis completam? ita ne pro vuis dulcibus, quas ex ea preſtolabaris, labruſcis ſceleribus onuſtam, vt vix per eam tranſiens eandem eſſe recognoſcas, quam tanto olim ſtudio, tanta cura & cultu nobilitaueras? Ecce iam vniuerſæ feræ eam diripiunt, omnia agri pecora conculcant: hinc

hinc aper de ſylua exterminat: inde fera ſingularis vniuerſa impetu vaſtans ac perſtringens egregia quæque depaſcitur. Auerte (obſecramus Domine) iram tuam & virgam furoris tui à vinea tua, & de cœlo ſancto tuo miſerentibus oculis ſuper eam reſpice: & ſi non propter nos qui indigni ſumus, ſaltem propter nomẽ tuum ineffabili clementiâ glorioſum. Scimus noſtris impietatibus hæc & maiora deberi ſupplicia. Scimus peccata noſtra ſuper arenam multa, ſuper omnem acerbitatem grauitatémque grauiſſima, ſed etiam ſcimus è regione tuam immenſam miſericordiam omnia hominũ peccata, non modò quæ perpetrata ſunt, ſed quę poſſunt in mentem cadere ſummâ incertâ ſupergredi. Scimus tuam benigniſſimam pietatem nunquam ignoſcendo defeſſam, tuum ſemper anteuenire iudiciũ, immò ſemper tua opera vniuerſa præſtare. Scimus te parentem eſſe, nos (quantumlibet degeneres) attamen filios: pro magno autem peccato filij, ſatis eſt patri parum ſupplicij. Sed ſcio quid obſiſtit,

quo

quo minùs nobis miſereariſ & ignoſcas, idipſum volens & appetens, quia nequaquam reſipiſcimus ab erratis, quia ad te ingemiſcentes reuerti non volumus, quod vtique per ſeruos tuos Prophetas tuæ in nos vindictæ prænuntios, tantâ cum diligentiâ nos admones, legem hanc nobis, qua miſereri debeas, per eos inſinuas. Sed nos qui ad tua mandata durâ ſumus ceruice, & indomabili corde ad veniam, vocantem non audimus, te excitantem contemnimus, te ſuadentem aſpernamur, te promptum atque voluntarium ad præterita omnia (ſi modò præteritorum pœniteret) condonandâ, per noua & peiora facinora quotidiè prouocamus. Proinde ad voces noſtras obſordeſcis, tuamque manum adhuc extentam à noſtra percuſſione non reuocas, ſed nouis potiùs contumacijs noua indeſinẽter flagella cumulas.

Excuſatio authoris ſuper generali deformitate accuſationis Eccleſiaſticorum.

Nolo autem vt quis exiſtimet per ea quæ Eccleſiaſticorum præmiſſa ſunt, me omnes prorſus Eccleſiaſticos, nullo excepto, comprehendere velle. Scio illum non

non mentitum esse, nec mentiri posse qui dixit. *Petre, rogaui pro te vt nõ deficiat fides tua.* Nec sum nescius in singulis quibusque statibus aliquos & forte plurimos bonos, iustos, innocentes esse, ab illisque maleficijs, quæ supra memorata sunt, seperatos. Sed tanta est improborum in singulis professionibus exuberantia, vt vix inter mille vnus reperiatur qui, id quod sua professio exigit, sinceriter faciat: quinetiam si simplex aliquis, si castus aut frugalis in collegio aliquo vel conuentu latam & lubricam perditorum viã non sectetur, fabula & ridiculum cæteris efficitur, insolensque & singularis, insanus aut hypocrita continuo appellatur: vnde & qui ad bonam frugem deuenirẽt si cum modestis & bonis degerent, hac ratione abstracti per malorum consortia ad malum trahuntur, dum talia inter suos contubernales nomina subire verentur. Inde est illud Psalmi vtique verissimum, *Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.*

Quare de bonis viris auctor silet.

Quamobrem nemo admiretur, si rari hoc

hoc tempore ſinceritate aut innocentiâ fulti in Eccleſia ſint, tot ſceleratis in omni loco ad mala impellentibus & per mille inſidias ſolicitantibus. Itaque propter multitudinem nequitiæ ita priuilegiatæ, de bonis ſiletur, qui alijs comparati paruo nimis in numero atque momento ſunt, vt dum ſermo de politia Eccleſiæ, aut de membris eius incidit, tanta turba preuaricatorum totam Eccleſiam in tyrannidem adducit, eo loquendi more quo pleriſque in locis ſcriptura vtitur. In Geneſi namque legitur, *Omnis caro corruperat viam ſuam*, & tamen eo tempore quo propter peccata hominum cataclismus erupit: *Noe* vir iuſtus coram Domino repertus eſt, & propterea cum ſuis in arca ſaluatus. Rurſus in libro Pſalmorum ſcriptum eſt, *Omnis homo mendax*, *omnes declinauerunt*, *non eſt qui faciat bonum:* & tamen idem ipſe qui hoc dixit, deinde de ſe teſtimonium habet, quia inueniſſet eum Dominus virum ſecundum cor ſuum.

Quòd ſtatus Eccleſiaſti-

Igitur cum ad hunc modum magiſtratus

ſtratus Eccleſiarum, & cætera officia ſe habeant, quis dubitat niſi Dei animaduerſione, mala eis quæ patiuntur accidere. Res mira, vt ſupra diximus, & inſolita videri deberet ſi quid eis proſperum accideret. Nonne per totam diuinorum voluminum ſeriē bona nobis hoc pacto à Deo promittuntur, ſi legem ipſius ſeruemus, mandata teneamus, in præceptis ambulemus, fœdus nobiſcum ab eo initum non irritum faciamus? Quod ſi nefarijs operibus teſtamentum eius prophanemus, pactum & legem irritemus, iuſſa & traditiones poſtponamus, qua fronte bona ab eo petere aut ſperare præſumemus? Neceſſe eſt ſortem alterutram ſubeamus, aut proſperorum præmia ſi mandatis obedierimus, aut ſupplicia, ſi tranſgreſſores ſumus, quia nunquam mentiri nouit, qui pro operum qualitate, vtraque tribuenda ſpoſpondit. Quid ſynagogam quæ typus Eccleſię fuit, ſecundum quod Paulus dicit, *Omnia illis in figura contigiſſe*, quid eam (inquam) proſtrauit, deſerique à Deo, & cladibus opprimi, niſi eiuſ-

cus meritò patitur.

eiuſdem malitia fecit? Si igitur iuxta parabolam Ezechielis de duabus ſororibus, Oolla & Oolliba, ſorori maiori ſimilia geſſit, immo eam flagitijs & fornicationibus, amplius inſaniendo ſuperauit, quomodo ſibi credet impune cedere? Expergiſcere tandem aliquando ex longiori tuo ſomno (ô infœlix ſoror Synagogæ) expergiſcere (inquam) aliquando & tuæ ebrietati diu ſatis (vt ita dicam) edormitæ modum impone, Prophetamque iſtum & cæteros, vide, lege, intellige, ſi tamen non vſquequaque tua ebrietas, Prophetæ teſtimonio, cor abſorbuit. Si ergo vlla in te ſani cordis ſcintilla ſupereſt, Prophetarũ dicta ſedulò reuolue. Tu inquam illic ſtatum & tuam confuſionem non vtique dormitantem, ſed è vicino impendentem conſidera, videbis quis te exitus expectet, quanquam malè & periculoſè in his ſordibus tam diu iaceas. Quòd ſi Prophetas non audis, nec de te dum tot mala nunciant, locutos arbitraris, ipſa te fallis & periculoſo nimiũ errore decipis. De te enim illi locuti ſunt,

&

& quæ minantur onera ſuper te niſi reſipis relapſura debes agnoſcere. Sed fac eorum vaticinia aliò ſpectare, quid de tua prophetia, de Iohannis ſcilicet in *Apoc.* cenſes? An non illam ſaltem ad te aliqua ex parte pertinere putas? num pudorem ita cum ſenſu perdidiſti, vt hæc neges? Illam ergo intuere & lege damnationem magnæ meretricis ſuper aquas multas ſedentis, illicque tua facta præclara contemplare & tuos futuros caſus.

Quòd eccleſiaſticus ſtatus propter ſuperbiam tendit ad ruinam.

Porrò cùm omnia imperia & regna gentium quantumcunque potentia, magna vel dura ob ſuas iniuſtitias & ſuperbias deleta audias, euerſa videas, atque peſſundata: tu quæ ſolidam humilitatẽ, ſuper quam fundata eras, nullos impetus turbinum metuentem tam longè abieciſti, tuumque cornu tam in altum extuliſti, quomodo exciſo atque auulſo tuo humili fundamento tantam ſuperbiæ molem quam deſuper extendiſti, non ruituram putabis? Cœpit iampridem tua ſuperbia nequaquam ſe ferens palàm, ſed lentè quidem & pedetentim, & propte-

reà à plurimis ruina illa non eſt percepta. Nunc verò in modum torrentis tota in præceps ageris, & ex illo præſertim tempore, quo abhominandum hoc ſchiſma te inuaſit, quod profectò ad primas tuas comprimendas nequitias intolerabiles & inſanias falſas, diuina ſuper te iracundia venire permiſit: quo vel ſic regnum tuum Deo graue, gentibus odioſum, iuxta euangelicam veritatẽ, in ſeipſo diuiſum, deſolaretur, fractumque & diſſipatum concideret: non quidem quòd fides Eccleſiæ in hoc mundano conflictu militantis curſu periclitari debeat, quæ fundata ſupra firmam petram ſtabilis & incõcuſſa manſura eſt. Sed loquor de temporali potentatu, de gloria & delitijs, quibus vſque ad nauſeam & obliuionem ſui ipſa Eccleſia inebriata eſt, de quibus in damnatione meretricis vindicibus Angelis præcipitur. Quantum glorificauit ſe & in delitijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Nam vt ea quæ longinqua ſunt, de Græcorum à nobis diſſidio propter noſtrorum ſuperbiam & auaritiam

uaritiam orto, de contractis limitibus Catholicæ religionis per totam penè orbis terrarum vaſtitatem olim porrectis, vt hæc, inquam, & alia nonnulla vulnera pridem Eccleſiæ infligi cæpta non repetam, nonne ſaltem ruina illa, qua vrbem Romanam, ſedem ac caput eccleſiæ ſic ruere & collabi videmus, eccleſiæ ipſius & totius eius imperij deſolationem propinquare nunciat, ſicut deſtructionem Hieruſalem, ſecuta de proximo eſt Iudęorum & ſynagogæ diſperſio? Quomodo enim diu ſtabit aut vigebit, quæ ſua deſtructa ſtatione & capite perdito, vaga & inſtabilis per orbem diſcurrit, & quaſi iam peregrina aut hoſpes in mundo de vno loco ad alium migrare cogitur? Ex illo planè ſuam cladem imminere prænoſſe debuit, ex quo propter ſuas fornicationes odibiles, *Romuli* vrbe relictâ, Auinionem confugit. Vbi quantò liberiùs, tantò apertiùs & impudentiùs vias ſuæ ſymonię & proſtitutionis expoſuit, peregrinoſque & peruerſos mores, calamitatum inductores in noſtram Galliam inuexit, rectiſ-

que vsque ad illa tempora moribus frugalibus disciplinâ instante, nunc verò luxu prodigioso vsque adeò solutam, vt meritò ambigere possis, vtrùm res ipsa auditu mirabilior sit, an visu miserabilior. Verùm aliàs forsan de Gallia nunc de Ecclesia loquamur, quæ maligno nescio quo pacto loca, quibus insederit, suo fermento inficere consueuit, casusque pernitiei ac ruinæ illis esse quanquam nõ gtatis aut absque vltione: vicem enim ei debitam Italia reddidit, quæ nudã & suo patrimonio paulò minùs spoliatam suis sedibus eiecit. Mala verò ipsa Gallia, inops per eam facta, reddere incipit, vt impleatur illud prophetiæ præsagium: *Confunderis ab Egypto sicut confusa es ab Assur.* Et illud, *filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis.* Postquam enim importabili sarcinâ peccatorum exigente: furiale malum schisinatis irrepsit in ecclesiam, vt omittam quæ per alterum tunc apud N. de papatu contendentem gesta sunt, potiùs hæc scribenda illis relinquam, qui cum

cum eo conuerſati certiùs mores illius, atque eorum quos ſecum habebat, enarrare poſſunt: quid *Clemente* noſtro, quoad vixit, miſerabilius? qui ita ſe ſeruum ſeruorum Gallicis Principibus adiecerat, vt eas ferret iniurias & contumelias, quæ ſibi quotidiè ab aulicis inferebantur, quas vix deceret in viliſſimum mancipium dici. Cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati, fingebat, diſſimulabat, largiter promittebat, diem ex die ducebat, his beneficia dabat, illis verba: omnibus, quos aut ars aſſentatoria, aut ludicra in curijs acceptos fecerat, ſummoperè placere ſtudebat, eoſq; beneficijs promereri, quo talium patrocinio, dominorum gratiam & fauorem aſſequeretur & ſimilia, &c. His itaque & iuuenibus nitidis & elegantibus, quorum maximè conſortio gaudebat, ſingulos ferè vacantes epiſcopatus, cæteraſque præcipuas dignitates impendebat. Denique vt Principum beneuolentiam faciliùs aſſequeretur, aſſecutam foueret, fotamque conſeruaret, conſeruatam amplificaret,

plurima vltrò donaria atque xenia illis dabat, quaſcunque ſuper Clero exactiones petere voluiſſent, annuebat, vltrò ſæpiùs etiam ingerebat. Sicq; omnem Clerum, ſecularium magiſtratuum diſpoſitioni ita ſubijciebat, vt Papa magis quilibet eorum, quàm ipſe putaretur. In hac triſtiſſima ſeruitute, non dico præſidentiâ, tria (vel ſuprà) temporum luſtra cum incredibili Eccleſiæ attritione conſumpſêrunt.

Quòd Eccleſia priùs humilianda eſt quàm erigenda.

Quia Eccleſia ſeipſam humiliare vel tot flagellis attrita, contempſit, rectè ab illo, qui plus æquo exaltata humiliat, eliſaque & humiliata erigit, priùs humilianda erat, vt in gratiam à qua exiderat, rediret, poſteà erigenda atque ſubleuanda; priùs deſolanda, poſteà conſolanda; priùs percutienda, poſteà ſananda. Nam quod ad reintegrandam ipſam Eccleſiam, funeſto hoc ſchiſmate dilaceratam attinet, fruſtra aliquid per nos effici ſperamus: non hoc humanis operibus, non vllâ arte, in gratia agendum eſt, altiorem planè manum res iſta depoſcit, & neceſſe eſt, ſi vnquam

quam vniri debeat, idem ipse medicus sit, qui vulnus intulit, quia & tam acerbum, tamque immedicabile vulnus est, vt nullâ operâ alterâ curari valeat. Multa super hac re tractata sunt, multa agitata vel cogitata, multa conscripta, multa consulta, multæ legationes susceptæ, verùm quo plura miscuimus & moliti sumus, eo res assiduè multiplicacior atque turbatior euasit, Deo labores nostros irridente, imò iurgiter irritante, qui nostrâ sine eius adiumento solertiâ illud ipsius opus explere credidimus. Adde, quòd indigni sumus & pacem ab eo impetrare, & pacem habere, quia non est pax impijs, dicit Dominus: qui rursum per Prophetam ait, *Erit opus iustitiæ pax.* Denique, nato in carne Domino, Angelorum exercitus pacem suo prædulci carmine in terra denuntians, solis eam hominibus bonæ voluntatis futuram nuntiauit.

Quod autem à Domino hæc pestis schismatica processerit, ex quibusdam in Zacharia scriptis licet apertè colligere. Legimus siquidem in illo Propheta qui

De duabus virgis Dei quibus gregem suum pascit.

multa de futuris temporibus & nouiſſimis Eccleſiæ tribulationibus ſub prophetico velamine prætexuit, quod Deus ſummus paſtor omnium aliorum caput & regula, in duabus virgis paſcit gregem ſuum, quæ ſunt decus & funiculus, quia decoris moribus & fraterna charitate prę-diti eſſe debent qui volunt in Eccleſia populis præeſſe. Charitatis enim, quæ eſt vinculum perfectionis, funiculus triplex eſt, qui difficile rumpitur, quia in Deum & proximũ, & ſeipſum tendit. Verum ſi anima paſtoris diuinis minimè iuſſis obtemperans, ſua & non quę Dei ſunt quę-rit, & turpi in Deum operatione variauerit, contrahitur anima eius ſuper eos, prę-cidenſq; virgas ſuas ab eas ſubſtrahit, pro decore ignominiam & dedecus, pro nec-tente autem funiculo, ſchiſmata, contentiones, & virulenta dimittens diſſidia, & hoc pacto irritum facit fœdus ſuum cum paſtoribus pariter & ouibus percuſſum, germanitatemq; intea eos diſſociat, quia plerumque pro culpa ſuperiorum ipſi etiã ſubditi puniuntur. Sicut propter reatum

Dauid

Dauid in populi numeratione, populus plaga peſtilentica peſſima percuſſus legitur. Conſtat autem primam virgam quæ decus vocatur propter vitia paſtorum iam ante annos multos ab Eccleſia prę-ciſam ac ſublatam, eo videlicet tempore, quo probroſos illos mores, de quibus antea memini, induerunt. Ex illo ſiquidem fluere, infirmare, langueſcere, retro ſublapſa referri cœpit Eccleſia: quippe quæ vernanti exuta decore, pallidam & obſcuratam in terramq; deiectam faciem gerebat. Poſtquam eiuſmodi languor nulla fomenti opitulatione medicatus, ſed diuturna incuriâ neglectus adeo per moram temporis invaluit, adeoque membra vniuerſa pererrando totum corpus occupauit, ſicque obſeſſum tenuit, vt iam vix vltra ſibi inuicem membra ipſa cohærere poſſent. Et verum eſſet illud Propheticũ, *A planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas.* Sublata eſt virga ſecunda funiculus qui inuicem membra eius colligabat, quæ nunc rupto pacis vinculo nefandum ſchiſma horrendumque

prorſus

prorſus diſſociat.

Quod fuit initium conculcationis.

Putant quippe nonnulli, qui multa de hoc ſchiſmate & futurâ Eccleſiæ per ipſum deſolatione, diuino, vt creditur inſtinctu, iamdudum prælocuti ſunt, teterrimam Eccleſiæ totius ex eo conculcationem, incredibilem vaſtitatẽ, per terreni violentiam imperij, cuius multa ſibi iura occupauit, orituram, quo terrenis tandem exuta copijs, quæ aliena glutierat, malè trita euomat: filioſq; fornicationum quos cum principum importunitate, cum improbiſſimo mercatu plurimos genuit, morte, fuga, exilio, fame & captiuitate oppreſſos lugeat: quę fortaſſis perſecutio maturiùs quàm plerique putant ceruicibus eorum incubitura eſt. Magna enim eius fundamenta, niſi valdè obcœcati ſumus, iam iacta ſunt, quæ quotidiè magis ac magis à terra ſurgere, & in apertã iam lucem erumpere, nemo eſt (ſi modo ſenſum habet) qui non valeat animaduertere. Et profecto iuſtiſſimo Dei iudicio tanta malorum inundatione obruenda & conquaſſanda eſt, quæ in tantam omniũ abo-

abominationum inſaniam excreuit, vt nullâ aliâ viâ caſtigari, aut ad priorem innocentiam redigi poſſe videatur. Præceſſerunt infinita ſigna, admonitiones, comminationes, increpationes, clades, verbera, flagella, quæ ipſam ad ſuam mentem, ne inſtantia talia pateretur, reuocarent. Sed nihil eſt omnibus his actum, immo incaſſum omnia conſumpta: *Fruſtra* (inquit Propheta) *conflauit conflator*, malitię eorum non ſunt conſumptę, fronte enim contra Deum obſtinata omnia contemſerunt, & velut equus infrænis poſt ſuas concupiſcentias rapidiori ſemper ineptu cucurrêrunt.

Si Eccleſia florere & ſine ctificare habeat.

Quis igitur tibi (ô Chriſte) modus reſtat, ſi tuam Eccleſiam à tanta ſorde ſcoriæ, in quam argentum eius & aurum verſa ſunt, emundare diſponis? multa, vt totam ſcoriâ ipſam, multa conflatili arte aut purgatorio igne in aurum reparandũ ab Eccleſiæ fornace proijcias, & puro illic nitore rutilantia metalla iterum inducas. Et ſi tuam prętereà vineam labruſcis ſenticoſiſque virgultis palmites ſuffocantibus

tibus obseptam, infructiferam, vis'ad naturam reducere, quis melior modus, id agendi, quàm inutiles stirpes eam sterilem efficientes, quæ falcibus amputatæ pullulant, radicitus euellere, vineamque ipsam alijs agricolis locatam, nouis rursum aut feracibus & fructiferis palmitibus inserere? *Neque*, teipso teste, *aut de spinis possunt vuæ colligi, aut de tribulis ficus*, sed & *arborem nullum fructum ferentem excidendam*, ipse sanxisti, *& igne cremendam*. Fallitur igitur quisquis labores & dolores Ecclesiæ his malis quæ iam patimur, finiri existimat. Hęc non nisi exigua sunt dolorum initia, & suauia quædam eorum quæ supersunt pręludia. Sed tempus erat vt portum, ingruente iam tempestate peteremus, nostræque in his periculis salùti consuleremus, ne tanta procellarum vis quæ laceram Petri nauiculã validiori turbinis impulsu, quàm vllo aliàs tempore, concussura est, in medjis nos fluctibus cum his qui merito naufragio perituri sunt, absorbeat.

Oratio

Oratio Authoris pro ſalutifero *fructu reformationis conſequendæ.*

VNum in fine opuſculi, quod iam longius tenditur, te (benigniſſime Ieſu) ſupplices exoramus, vt quæcunque tua ſuper Eccleſiam futura ſunt iudicia (magna enim abſque dubio futura ſunt) non ea in ſeueritate vltionis, ſecundū ipſius iniquitates immenſam iam mercedem ei retribuas, ſed iuxta inenarrabilem tuæ clementiæ lenitatem, & in pœnarum exactione, quam nō meretur, pietatem largiri digneris: ſicque ea quæ noxia ſunt aut ſuperuacua, reſcinde, ne pauca quæ non vſquequaquam inutilia ſunt, cum his etiam pariter excindas. Ita igitur preme, ne prorſus opprimas: ita attere, ne prorſus obteras: ita caſtiga, ne prorſus extinguas, ſed ſaltem ne Sodomę & Gomorrhę ſimilis ſit, ſemen ei aliquod relinque, memor tamen tui ſacratiſſimi verbi quo te cum illa futurum promiſiſti omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.

Rithmi

Rithmi è vetusto quodam codice descripti, Romanum quendam aduocatum cognomento *le Franc*, *taxantes, vt appareat etiam veteres* in Romanam Curiam scripsisse.

Propter Sion non tacebo,
Sed ruinas Romæ flebo,
Quo ad vsque Iustitia

Nobis rursus oriatur,
Et vt lampas accendatur
Iustus in Ecclesia.

Sedet vilis, & in luto
Princeps facta sub tributo:
Quod solebam dicere,

Romam esse derelictam,
Desolatam & afflictam,
Expertus sum opere.

Vidi, vidi caput mundi,
Instar maris, & profundi
Vorax guttur Siculi:

Ibi mundi διθάλασσος,
Ibi ſorbet aurum Craſſus,
Et argentum ſæculi.

Ibi latet Scylla rapax,
Et Charybdis auri capax,
Potiùs quàm nauium:

Ibi pugna Galearum,
Et conflictus piratarum,
Id eſt Cardinalium.

Syrtes inſunt huic profundo,
Et Syrenes, toti mundo
Minantes naufragium.

Os hominum foris patet,
In occulto cordis latet
Inſorme dæmonium.

Habes iuxta rationem,
Διθάλασσον per Franconem,
Quod ne credas friuolum:

Ibi duplex mare feruet,
A quo non eſt qui reſeruet,
Sibi valens obulum:

Ibi venti colliduntur,
Ibi panni submerguntur,
Byssum, ostrum, purpura:

Ibi mundus sepelitur,
Immò totus deglutitur
In Franconis *guttura.*

Franco *nulli miseretur,*
Nullum sexum reueretur,
Nulli parcit homini.

Illuc enim dona ferunt,
Omnes illuc ascenderunt
Tribus tribus Domini.

Canes Scyllæ possunt dici,
Veritatis inimici,
Aduocati Curiæ:

Qui latrando falsa fingunt,
Mergunt simul & confringunt
Carinam pecuniæ.

Iste probat se Legistam,
Ille verò Decretistam,
Inducens Gelasium:

Ad probandam quæstionem,
Hic intendit actionem
Regendorum finium.

Vti reum prosequatur,
Hic Charybdis debacchatur,
Id est Cancellaria:

Ibi nemo gratus gratis,
Nulli datur absque datis,
Gratiam gratia.

Plumbum quod hic informatur,
Super aurum dominatur,
Et massam argenteam.

Æquitatis phantasia
Sedet, teste Zachariâ,
Super bullam plumbeam:

Qui sunt Syrtes vel Syrenes:
Qui sermone blando lenes
Attrahunt Byzantium.

Speciem prætendunt lenitatis,
Sed Charybdi parcitatis,
Supinant marsupium.

Dulci cantu blandiuntur
Vt Syrenes, & loquuntur
Primò quædam dulcia:

Frater, bene te cognosco,
Certè nihil à te posco,
Nam tu es de Francia:

Terra vestra benè cæpit,
Et benignè nos excepit
In portu Consilij:

Nostri estis, nostri cuius?
Sacrosanctæ sedis huius
Spirituales filij.

Ita dicunt Cardinales,
Ita solent Dij carnales
Inprimis allicere.

Sic instillant fel Draconis,
Et in fine Lectionis
Cogunt Bursam vomere.

Tales regunt Petri nauem,
Tales habent Petri clauem
Ligandi potentiam.

Hi nos docent ſed indocti,
Hi nos docent, & nox nocti
Indicat ſcientiam.

Cardinales, vt prædixi,
Nouo iure crucifixi,
Vendunt patrimonium.

Foris Petrus, intùs Nero,
Intùs Lupi, foris verò
Sicut agni ouium.

In Galea ſedet vna,
Mundi lues importuna
Camelos deglutiens:

Inuoluta Canopeo,
Cuncta vorat ſicut Leo,
Rapiens & rugiens.

Hic piratis principatur,
Et Iohannes nuncupatur,
Sedens in inſidijs.

Ventre groſſo, lota cute,
Grande monſtrum, nec virtute,
Sed rerum emptum vitijs.

Maris huius non eſt Dea
Thetis *mater* Achillæa,
De qua ſæpè legimus.

Immò verò Carlinorum,
Sancta ſoror loculorum,
Quam nos Burſam dicimus.

Nam ſi burſa detumeſcit,
Surgunt venti, mare creſcit,
Et carina deperit:

Sic à ventis circumlata,
Et à ſcopulis vexata,
Periculo ſuberit.

Et occurrunt cautes rati,
Donec omnes ſunt priuati,
Tam nummis quàm veſtibus.

Tunc ſecurus fit viator,
Quia nudus & cantator
Fit coram latronibus.

Quòd ſi verum placet ſcribi,
Duo portus tamen ibi,
Duæ tamen inſulæ,

Ad quas licet applicari,
Et iacturam reparari,
Confractæ nauiculæ.

Petrus enim Papienſis,
Qui electus eſt Meldenſis
Portus rectè dicitur.

Nam cùm mare fluctus tollit,
Ipſe ſolus mare mollit,
Et ad ipſum fugitur.

Eſt & ibi maior portus,
Fœtus agri, florens hortus,
Pietatis Balſamum:

Alexander ille meus,
Meus inquam, cui det Deus
Paradiſi thalamum.

Ille fouet literatos,
Omnes malè incuruatos,
Si poſſet erigere.

Verus eſſet cultor Dei,
Niſi latus Heliſei,
Gieſi corrumperet.

Sed ne rursus in hoc mari,
Me contingat naufragari,
Dictis finem faciam.

Quia dum securus eo
Ne submergar, ori meo
Posui custodiam.

FINIS.

Dis-

Disputatio eiusdem Nicolai Clemangis habita per scriptum, super materia Concilij generalis, *cum quodam scholastico Parisiensi.*

OB eam rem dixi, multis posse videri efficacius aliundè acta concilij, quàm per ipsum concilium fuisse probanda, quia re vera non conuenientissimum mihi videbatur (quod cum pace authoris velim esse dictũ) acta concilij, apud conciliũ per ipsummet probari concilium. Aut enim aliundè suberat probatio, aut non suberat. Si aliundè opportuna suppetebat, non te mihi negaturum arbitror congruentius extitisse hoc fieri. Quid enim si coram illis sermo fiebat qui res egerant ac digesserant? cum rectius atque commodius si ad alienos sermo fuisset, vernacula adhiberetur probatio, quàm apud illos qui egerant. Si autem nihil aptum ad confirmationem illarum constitutionum, vel ex scripturæ

authoritate, vel ex ſacris Canonibus prę-
cedentium Conciliorum trahi poterat,
neſcio ſi vtilius fuiſſet, reſtitutâ primùm
pace, tanta noua condere decreta, quæ
nullis prioribus ædita Concilijs inueni-
rentur, cùm periculoſę nimis ſint nouita-
tes temporibus ſchiſmatum, multaque a-
lia ſcandala pepererint, & pręſertim cum
de actis Piſani Concilij multos etiã nunc
ambigere audiamus, quo non tã ſchiſma
ſublatum vidimus, quàm auctum & cor-
roboratum. Nam quòd ait authoritatem
Eccleſiæ omni pręſtãtiorem eſſe ratione,
nonne per authoritatem Eccleſiæ fuiſſet
facta probatio, ſi per ſcripturam diuinam
vel per aliarum ſtatuta ſynodorũ fuiſſent
in teſtimonium maioris certitudinis illa
confirmata? Licet autem Eccleſiæ mili-
tantis authoritas ſit maxima quę fundata
ſupra firmam petram, conuelli non po-
teſt, & aduerſus quam portæ inferi nun-
quam præualere potuerunt, non illi tamẽ
nos oportet (vt videtur) triumphantis
Eccleſiæ titulos adſcribere, vt infallibilis
ſit aut impeccabilis, quæ ſæpè (vt noſti)
&

& fallit & fallitur: non dico in his quæ fidei ſunt, cum Chriſtus ad mortem properans, de illa ad Petrum dixerit, *Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Sed in alijs quæ vel facti ſunt, vel morum, vel iudiciorum, in quibus propter circumſtantiarum infinitam varietatem ac multitudinem perdifficile eſt optimi medium ſemper attingere. Si igitur aut moralia ſint, aut iudicialia iſta Concilij acta, cum in talibus falli poſſit Eccleſia, non abſurdum videtur fuiſſe, ſi ad argumentum maioris firmitatis aliqua ſimilium exempla, vel de ſcripturis canonicis proferantur, vel de antiquis ac probatiſſimis concilijs, quæ inconcuſſæ ſunt authoritatis. Si autem omnia illa acta Concilij fidei definitiones ſunt, cum nonnulli (vt fama vulgauit) multa ex aduerſo producant ſanctorum patrum, ac ſynodalium ſanctionum decreta, vide quale fuerit pendente adhuc ſchiſmate in tantarum rerum opinionumque varietate, doctiſſimorumque hominum controuerſiâ, tot fidei articulos conſtituere, vbi non ſolum con-

conueniens, ſed neceſſarium mihi fuiſſe videtur: alias ſaltem conſtitutiones vel determinationes, quæ ab alijs in contrarium adduci dicuntur, in partem veritatis & fidei interpretari oportuiſſe, & nõ iſtis eſſe contrarias oſtẽdi debuiſſe, ne aliàs in materia fidei ipſa erraſſe videretur Eccleſia contraria determinando. Quod enim dicis patrum decreta rationi non inniti ſolêre, certè cum tua bona venia, ſi fidei negotium eſt, vel materia contentioſa rationibus maximè ex ſcriptura ductis, vel ex ſanctorum patrum diffinitionibus inniti conſueuêrunt, à quorũ veſtigijs niſi legitimâ grauiſſimâque ratione adducti, non ſolent diſcedere, quã (ſi contraria eos cõtingat ſtatuere) explicare nõ omittunt, ne gratis & voluntariè in rebus arduiſſimis locuti videantur, ſanctorumque patrum decreta ſine cauſa mutaſſe. Sed iam venio ad verbum Auguſtini quod commemoraſti quo Eccleſiaſtica videtur authoritas maximè extolli atque fulciri: *Euangelio* (inquit ille) *non crederem, niſi me authoritas Eccleſiæ compelleret.* Mirum ſanè

ſanè prima ſpecie ſatis videtur, quòd authoritatem peregrinātis in terra Eccleſię, authoritati videtur Euāgelij anteponere, cum in multis illa falli poſſit, illud omnino nequaquam poſſit, & cum ipſius Eccleſiæ authoritas, quantum ad ipſius radicem & fundamentum, maximè ex Euangelio conſtet, immo ipſius inſtitutio, poteſtas, ædificatio, non aliundè tam expreſſè & certitudinaliter, quàm ex ipſo habeamus Euangelio. Non certiùs autem (vt exiſtimo) videre poſſumus de Eccleſia atque Euangelio, quod altero excellentioris ſit authoritatis, quàm ſi demus fieri poſſe, vt aliquid Euangelio contrarium Eccleſia ſtatuat. Quod vtiq; ſcio fieri non poſſe, ſed fingamus gratiâ meliùs enucleandæ veritatis fieri poſſe. Putas-ne in caſu illo Auguſtinum pro Eccleſiaſtico ſtatuto fidem fuiſſe Euangelij reiecturum? Equidem non facilè crediderim doctorem illum acutiſſimum atque excellentiſſimum hoc fuiſſe facturum, aut per illa hæc verba ſenſiſſe, præſertim cū de fide Euangelij Paulus dicat:

Si

Galat. 1. *Si quis etiam Angelus de cælo aliud vobis euangelizauerit, anathema ſit*, aliud, inquã, id eſt contrarium. Scripta quippe ſunt ab Auguſtino verba illa, niſi me fallit memoria, in libro cuius titulus eſt, contra epiſtolã fundamenti Manichæorũ, quem ante non multa tempora ad integrum perlegi. Manichæi autem contra quos ibi agitur, ſcripturas ſacras pro arbitrio ſuo, non pro Eccleſiç Catholicæ ordinatione vel accipiendas ducebant, vel repudiendas. Vetus pro maiori parte teſtimonium non admittebant, Euangelio credi volebant, Epiſtolas Pauli Apoſtoli, multis adiectis & detractis à falſarijs quibuſdam, coruptas dicebant, multaque ſimilia deliramenta ſine ratione, ſed ſolâ voluntatis ſuæ peruerſitate de ſcripturis confingebant. Vt igitur doceret Auguſtinus non ex voluntatis arbitrio, ſed Canonicâ inſtitutione, canonicas ſcripturas recipi opotere, illa verba mihi videtur, quantum recordari valeo, poſuiſſe, Euangelio non crederem, niſi me authoritas Eccleſiæ compelleret, hoc eſt, Euangelio tanquam

ſcrip-

scripturæ canonicæ non crederem, nisi Ecclesiæ authoritas ad hoc me compelleret, quæ illud intra corpus Canonis habendum censuit, & cui sola est illa authoritas attributa, vt scripturas possit canonicas facere, cuique à quolibet fideli in hoc credi debet atque obediri. Scripta sunt à plerisque sub aliquorum Apostolorum, aliorumque fidelium nominibus multa Euangelia, de quibus etiam meminit Lucas in prologo sui Euangelij, sed tum propter authorum incertitudinem, tum quia non vsquequaque vera erat illorum narratio, non immeritò inter Apocripha per Ecclesiam deputata sunt. Illis ergo non est credendum, quia non sunt per Ecclesiam pro Canonicis approbata, sed à Canonica Catholicaque authoritate prorsus exclusa. Deinde, quod postea addis, certiorem esse habitum fidei quàm rationis, etsi non euidentiorem, fateor apud fideles viros verum esse quod dicis, *Captiuantes* (vt ait Apostolus) *omnem intellectum in obsequiũ Christi ac suæ fidei*, qui profectò priùs descenderẽt à ratione quàm

quàm à fidei authoritate, ſi vtraque inuicem concordare non poſſent. Sed non omnia quæ Eccleſia conſtituit, fidei definitio ſunt, & plerumque etiam cum fidei ſunt, à ratione non diſcrepant. Illud quoque quod ex Lactantio adducis, *Ea quæ diuinæ authoritatis ſunt, cum ratione probante tradi non oportuiſſe, ne per inductam minueretur dicentis authoritas*, ſimilē habet reſponſionem. Non enim tanquam fidei articuli ſunt amplectenda quæ cunque Eccleſia determinat, vtpote quæ aliquoties contraria determinauit, quod in fidei materia non eſſet conueniens. Denique non ignotū tibi eſt, tum Chriſtum ipſum legiferum noſtrum, tum ſuos Apoſtolos in ſuæ legis ac fidei traditione, ſæpè tale genus probationis, quale dicebam, ex ſacris Scripturis veteris Teſtamenti, dictiſque Patrum & Prophetarum, in dictorum ſuorum confirmationem adhibuiſſe, quo nullum nobis ad imitationē certius poſſumus exemplum proponere, cùm illius actio & vitæ noſtræ, & morum noſtrorum atque actionum

num certiſſima atque infallibilis ſit inſtructio. Nec illud præterea te fugit; quod credo ex fonte illo imitationis Chriſti deriuatum, quod noſtri ſcholaſtici Theologi, etiam ad illa quæ fidei ſunt, rationes & naturales & morales quotidiè adducunt, vel propter illos qui non fundatiſſimæ ſunt fidei, ſed ductu rationis in principio ad illam indigent attrahi, vel ne naturæ, rationiq́ue contraria videatur fides imperare, ac per hoc ab illa velut à re irrationabili atque ineptâ, puſilli plerique, ac ſenſibus dediti, ad intelligibiliaq́ue ac ſpiritualia nō facilè valentes aſſurgere, refugiant. Vides in *Iohannis* Euangelio ad ſermonem mulieris Samaritanæ plurimos ex ciuitate Samariæ ad Chriſtum veniſſe, in eumq́ue credidiſſe, qui poſteà in fide corroborati dicunt illi: *Iam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audiuimus & ſcimus, quia hic eſt verè Saluator mundi.* Figurat autem (vt aiunt Doctores) mulier iſta Samaritana rationem vel ſimilitudinem naturalem. Samaria quippe coniuncta Domino

Domino interpretatur, per naturalem verò rationem anima incipit Domino per fidem coniungi, quæ ratio rudes & nouellos primùm ad fidem ducit atque allicit, cùm verò in Sacramentis fidei plenè imbuti fuerint, atque edocti, non iam propter illam credunt, nec illius ductu indigent, sed illam potiùs tanquam viæ periti, nec ducem vlteriùs requirentes repudiant, sicque suæ fidei non euacuatur meritum, cui iam non humana ratio præbet experimentum, licèt fortassis in principio prębuerit incitamentum. Non fuisset autem tam necessarium facta Consilij, vel per authoritatem Scripturarum præcedentiumq; Consiliorum corroborari, vel eorum saltem rationẽ reddi, si non aliqua, saltem per doctos homines, dicerentur opponi, vel si omnes illi quos respiciunt, aut ad quos ventura sunt, ita essent humanâ ac diuinâ sapientiâ præditi, sicut illi qui ea ædiderunt. Sed cùm ista respiciant vniuersam Ecclesiam, & multa alia statuta nonnullis istorum quorundam fortè opinione videantur

deantur aduerſari. Credo vtiliſſimum fuiſſe ac conſultiſſimum, ſi rationes fuiſſent dictorum adiectæ, vt omni poſcenti ſuper his rationem, in promptu fuiſſent, iuxta doctrinam atque admonitionem beati Petri Apoſtoli, qui vult nos ſemper paratos eſſe ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de eâ quæ in nobis eſt, fide. Non rectũ eſſe arbitrabatur princeps ille Apoſtolici ordinis, nos in eorum quę fidei ſunt tractatione aut determinatione, abſque ratione, & pro arbitrio loqui, qui omnibus fidei noſtræ rationem deſiderantibus, iubet eſſe paratam. Non ſibi debent ſolis ſapere, qui in Synodo vniuerſali Eccleſiam repræſentant, ſed ipſi toti Eccleſiæ, & ita debent ſuas determinationes clarè atque enucleatè explicare, vt nullum de puſillis, qui in Chriſto credunt, poſſint ſuâ obſcuritate aut dubietate ſcandalizare. Ratio autem in facto aliquo aut dicto adiecta, obſcuritatem atque ambiguitatem, ac per hoc ſcandali occaſionem ab illo aufert, quam rationẽ ſi non poterant in ſpecie vnicuique poſtulanti

ſtulanti reddere, poterant ſaltem in genere ad ſatisfactionem vniuerſalis Eccleſiæ, ſuis conſtitutionibus addere. Non debent inſuper vt videtur, qui conſilium agunt, pro fiducia ac libertate agendi quæcunque libuerint, nimis illi inniti æſtimationi, Generale conſilium ſumus, fidenter agamus, errare non poſſumus. Sanxerunt ac diffinierunt qui Piſano interfuerunt Concilio, atque ita promulgari fecerunt per nouam electionem, ad quorundam ambitioſorum inſtantiam præproperè factam, ſchiſma ſeſe ex Eccleſia ſuſtuliſſe, pacemque redidiſſe. Et quis in tota Eccleſia tam cæcus fuit, qui non rerum experientiâ palam viderit, quantum & ipſoſmet, & vniuerſam Eccleſiam illa opinio fefellit? Nihil profectò deterius, nihil Eccleſiæ funeſtius, vnionique capitalius agi poteſt, quàm ante omnia bene pacata, pro ſecuroque pacis tractatu compoſita & concordata, ad nouam procedere electionem, quæ res & ſchiſma à principio fecit, & in tantam vetuſtatem perduxit, & ſanctam Dei Eccleſiam

clesiam incredibiliter attriuit, quod quamdiu beneficiorum auiditate fiet, nunquam sumus Ecclesiæ visuri vnionẽ. Et nihil profectò est quod magis metuã, quàm ne in Concilio isto ambitiosi suâ importunitate ac multitudine hoc fieri euincant atque extorqueant, qui molestiùs ferunt beneficia, quæ ambiunt, diutiùs vacare, quàm sanctam Romanam Ecclesiam per hoc sacrilegum schisma funditùs conteri atque deperire. Mea autem fert opinio, si Ecclesia illa collationem omnium graduum Ecclesiæ vniuersalis nunquam sibi arrogasset, cæteraſque, suis iuribus vniuersa ingurgitando, Ecclesias nequaquam expoliasset, vel hoc schisma nunquam in illa exorturum fuisse, vel non tanto saltem tempore perduraſſe. Sed ollam non cessat *Hieremias* succensam videre, quia ardens nõ cessat ambitio ad illius succensionem ignem pariter ac ligna administrare. Ista volui tecum conferendo paulo latiùs explicare, quia meam non satis potueras mentem per literas breues & curforias

perſpicere.

Deum autem teſtem inuoco in animam meam, non in calumniam aut ſuggillationem alicuius hæc me dicere, ſed piâ & fideli æmulatione, quâ ſalubriter & ſecurè rebus Eccleſiæ cupio eſſe conſultum, cuius nos vnitatem videre Chriſtus ſuâ benignitate largiatur. Nec intentio eſt, in hac habitâ tecum collatione quippiam aſtruere, quod non ſanum atque conſonum ſit ſacris Scripturis, Catholicæque ſinceritati. Vale apud Fontē.

Eiuſdem ad eundē Scholaſticum ſuper eadem materia, *largior atque verior Collatio.*

BEnè admones de generalibus Patrum Synodis ſobriè loqui, conſultiùs eſſe exiſtimans frenos ori ponere, quàm de illis temerario iudicio quicquam diffinire. Scio me à te & à quouis alio, non modò de temeritate, verumetiam de inſaniâ ac dementiâ iure optimo

optimo argui poſſe, ſi de actis generalis Synodi vellem diffinitor aut iudex fieri. Quis enim ego ſum, qui ſenſu paruus, doctrinâ minor, gradu atque authoritate minimus, de ſapientum eruditiſſimorũque virorum ſententijs cenſor velim ac iudex eſſe? Auertat à me Chriſtus tantam præſumptionem, tantamque demẽtiam. Non rectè (amice chariſſime) mea verba accipis, meamque mentem tenes, ſi in his quæ ad te nouiſſimè, gratiâ tecum habendæ collationis, à teque percipiendæ in aliquibus mihi dubijs inſtructionis perſcripſi, diffinitoriè me loqui velle credidiſti. Nam quia ſuper tuis prioribus literis aliqua apud me erant orta dubia, quorum non ſatis aperta erat ſolutio illa: pro planiori intelligentia tecum quodammodo diſputando, ad tuaque aliqua reſpondendo explicare volui, & partim ratione, partim Scripturarum, catholicorumque virorum authoritate in contrariũ adductâ, communire, quo ſic diſcuſſâ obſcuritatis caligine, perſpicuæ ſplendor veritatis magis eluceſceret, quę

per obiecta quæque nubula solet clarior erumpere, per contrariamque oppugnationem fortior atque inexpugnabilior apparere, vt nunquam falli possit illa sententia de ipsâ in sacris literis scripta: *Super omnia vincit veritas*. Denique non ob aliam causam in scholis atque gymnasijs telis solet argumentationum acriùs oppugnari, nisi vt hostili exercitu per illam fuso atque superato, vis eius certissima & prorsus inuicta euidentiùs innotescat. Vides quantâ in illis scriptis diligentiâ, quantoque studio laborauerim, nihil ex meo sensu vel iudicio dicere, sed ferè ad omnia testimonium Scripturę adhibere, vt nihil posset à me profectum vel somniatum credi. Si quid ergo ex Scripturis aut sacrorum dictis obieci, quod fortè inijciat scrupulum, vel difficultatem pariat, nunquid propterea rem diffinire existimandus sum? Cùm etiam si illa quę protuli testimonia, tam certa atque irrefragabilia essent, vt rem ipsam diffinire viderentur, nullo modo mihi attribuenda esset illa diffinitio. Non peto per te

vel

vel quemcunque alium fidem aliquam meis dari ſcriptis, niſi quantum inconcuſſâ ſunt authoritate firmata, vel ſolidâ ratione roborata. Alioquin niſi his fuerint firmamentis innixa, quis ego ſum, vt credi debeat? Vbi autem tali ſunt vallata munimine, non mihi in illis credi oportet, ſed veritati ſummæ, à qua verum eſt omne quod verum eſt, quoniam (vt ait beatus *Ambroſius*) omne verum à quocunque dicatur, à Spiritu ſancto eſt. Qui etiam ſpiritus veritatis ab ipſa eſt veritate nuncupatus. Cui Ambroſianę ſententiæ *Auguſtini* etiam verba conſonant, qui in epiſtola ad *Paſcentum*, ita ſcribit: Neque enim in nobiſipſis, vel per noſipſos veraces ſumus cùm verum loquimur, ſed cùm ille in ſeruis ſuis loquitur, qui ſolus eſt verax. At non ſatis (vt inquis) generalem Synodum reuereri videor? Nonne contra fidei & Scripturæ ſacræ certiſſimam veritatem quotidiè diſputamus, quæſtiones mouemus, dubia proponimus, vt per eorum enucleationem veritas illarum certiùs appareat? Immò

verò pro illarum honore non puto commodiùs posse certari, quàm si ad certitudinis explanationem opponendo, atq; exponendo, quærendo, ac respondendo vberiùs disceptetur, vt si quid fortè obscurum aut reconditum erat, per discussionem in apertum veniat. Omnes sanè synodos & pridem ritè celebratas, & quę nunc quoque celebrantur, tum reuerenter suscipio, tum fideliter amplector, & abśit vt aliquid siniśtrum de illis sentire velim aut dicere. Nec idcirco calumniari debeo minùs sincerè de illis sentire, quòd aliqua ad meæ ignorantiæ eruditionem circa illas exquiro, mihiq́ue edisserenda postulo, vt de illis possim nō solùm sanè & fideliter sentire, sed etiam pro captu ingenioli verè sapienterq́; loqui. Licèt enim tenuiter doctus sim, veritatis tamen inuestigandæ auidissimus sum, libenterq́ue à peritioribus, quæ me mouent in rebus ambigua enodari posco. Ex hoc autem ardore & desiderio indagandæ percipiendæq́ue veritatis, illa præcessit Epistola, quam ad te nuper misi, literas

literas meas ſuperiores explicatiùs euoluens, quarum non ſatis pro breuitate curſuq́ue rapido mihi videbaris ex voto meo ſenſum aſſecutus, nõnulla prætereà noua dubia interſerens, quæ de aliqua re diu cogitando ſolent largiùs ac multipliciùs emergere. Horum dubiorum tu aliqua in tuis ad illam epiſtolam reſponſorijs literis euacuare donatus es, ſed adhuc aliqui mihi reſtant circa illa ſcrupuli dubietatis inſoluti, quos tuæ amantiſſimæ dilectioni patefacere conſtitui, quæ (obſecro) meam velit ignorantiam in tantorum dubiorum inquiſitione ſupportare, nec indignari aut ſuccenſere, ſi fortè nimis multa ex te quærendo importunior ſim. Scio tibi alias non deeſſe occupationes, nec tempora tibi tam libera quàm mihi fluere, quam ob cauſam vereor vltrà quàm æquum eſſet, tibi oneri eſſe, ſed nolo propter mea ſcripta te à legitimis alijs curis, quæ ex gradu & officio, beneficioq́; tibi incumbunt, reuocari aut impediri, propterq́ue mea acceſſoria, tua principalia omitti negotia.

Satis

Satis habeo si quando ab alijs vacabis occupationibus, teque animi ad hoc voluptas excitauerit, aliquid vel breuiter rescribas. Per te igitur (nisi molestum est) informari cupio, vtrum credere nos oporteat cuncta vniuersalia Consilia eiusdem aut æqualis esse authoritatis, & si ita est, quare de solis quatuor dicit Gregorius illa se venerari & suspicere quasi quatuor Euangelia, aut totidem Paradisi flumina. Si enim indiscretæ authoritatis vniuersa credidit, quam ob causam sola illa quatuor pro cultu venerationis nominatim expressit, dubiã de alijs suspitionem in animis hominum relinquens? Doceri prætérea per te desidero, vtrum Catholicâ putes veritate tenendum, tam in his quæ sunt facti, vel morum, vel iudiciorũ, generale nunquã falli posse Concilium quàm in fide errare non posse fideliter creditur. Si autem ita sentis quæro quorsum illa spectet trita vulgò apud Iuristas sententia, quam pro regula habent quòd sæpe Ecclesia militans & fallit & fallitur? quomodoque intelligenda sit, & quæ sit

inter

inter militantem & triumphantem quantum ad hoc, distantia, si vtraque quantum ad omnia infallibis est? Porro Ecclesia in consilio cõgregata nonne viatrix & peregrina est? Si autẽ viatrix est & peregrina, in statu merendi aut demerẽdi esse videtur, quod autẽ tale est, & potest rectè agere, atq; ita mereri, vt videtur etiã posse deficere, si potest demereri. Neque enim rationem meriti aut demeriti videtur habere operatio, cui nec libertas, nec facultas adest aliter agendi. Sane quia Ecclesia in fide deficere non possit, certum atque expressum habemus testimonium Christi: *Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Quod autem in alijs non possit, non tale me vidisse memini documentum. Si quid tale nosti, oro vt in medium proferas. Nam illud quidem quod ex Euangelio commemorasti, non multùm conuincere videtur: *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et primo quidem non necesse est, vt falli non possint in quorum medio versatur Christus. De ipso namque

Luc. 22

Mat. 18

que Christo ad quosdam Pharisæorum Ioh. Baptista dicit: *Medius vestrum stetit*, nec proinde oportebat vt falli non possent: nonne in medio insuper erat perfidissimorũ Iudęorũ dum crucifigeretur & conspueretur & blasphemaretur? Et quis illos insanus dixit falli non potuisse? Prętera dic, si placet, de qua credis assistentia illud verbum Christi debere intelligi. Si de assistentia per præsentiam diuinitatis, quæ vbique est, nihil ad rem pertinet. Sic quippe & nunquam falli & nusquam posset, si vbicunque esset, errare aut falli non liceret. Si de assistentia per gratiam, vide quemadmodum consequens esse oporteat, quoties duo vel tres pro conferendo ad inuicem de pace Ecclesiæ, vel aliquo alio fructu conueniunt, diuinam illis gratiam protinus infundi, cum forte multa ante peccauerint, de quibus nec compuncti sunt, nec confessi. Multi siquidem fideli zelo de pace Ecclesiæ sępe conferunt & tractant, magnis aliquibus peccatis, quæ cum gratia minimè stant implicati: vel igitur solo colloquio de aliquo

quò pio opere illa deleri oportet, vel non neceſſe eſt illis gratiam conferre. Sed demus vt ſingulis taliter congregatis, cœleſtis confeſtim adſit gratia, nunquid illos collata gratia impeccabiles facit, vt à recto non poſſint tramite deflecti, à gratiaque excidere, vel ignorantiâ aliquâ, vel excæcante iudicium paſſione præpediri? Mouet gratia ad bene agendum & excitat, non autem cogit, aut neceſſitatem aliquam immittit, vt aliter fieri non poſſit. Si verò de aſſiſtentia per directionem vel internam in agendis inſtructionem, illa cenſes verba Chriſti intelligenda, illa ſanctis viris adeſſe ſolet, qui ſpiritus ſancti gratiâ ſunt repleti, abundéque perfuſi. Talibus nempe à Deo promittitur illud Pſalmi, *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac quam gradieris, firmabo ſuper te oculos meos*. Talibus præterea qui religioſè viuendo, pieque operando meruerunt Spiritum ſanctum habitatorem habere, de ipſo ſpiritu dicitur, *Ille docebit vos omnem veritatem*. Et rurſum, *Ille vos docebit omnia*. Soli autem tales cenſendi Pſal. 31.

sendi sunt spirituales, dicente Apostolo:
Rom. 8. *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Deinde ad veram illius sententię Christi, quam posuisti, intelligentiam, considerandum videretur qui existimandi sunt in nomine Christi congregati, & tu quidem breuiter dixisti, illos nos existimare debere in vero Christi nomine congregatos, qui totis pacem laboribus quęrunt Ecclesiæ reddere. Verum nomẽ Christi, vt nosti IESVS est, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur. Christus namque à *chrismate*, hoc est, ab vnctione velut rex dictus est, qua vnxit enim Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis: quam ob causam etiam Cyrus rex Persarum Christus à Domino legitur appellatus. Saul quoque quamuis reprobus, Christus Domini à Dauid dictus est: Iesus autem, ipso Angelo interpretante, Saluator dicitur, causâ interpretationis adiectâ,
Mat. 1. *Ipse enim saluum faciet populum à peccatis eorum.* Vide igitur ne rectius sit atque ad sanctorum dicta consonan-

sonantius illos in vero Christi nomine dicere congregatos, qui pro vera atque æterna salute, vel sui, vel aliquorum proximorũ suorũ, vel totius Ecclesiæ Catholicæ, congregati sunt, siue hoc per pacis, siue per alterius boni salutaris inquisitionem, vel etiam adeptionem futurum sit. Sic enim fidelissimi diuinorum eloquiorum tractatores illos exponũt in nomine Iesu petere, qui ad salutem pertinentia petunt. Nam illa quidẽ tuâ expositio nimis angusta est, nec satis latè patet, & præmissæ sanctorũ expositioni non omnino concordare videtur. Angusta primò quia vnicum pacis bonum comprehendit, deinde non sanctorum dictis plena consona, quoniam pax (de qua sola loquitur) non necessariò ad æternam pertinet salutem, sed de mediocribus bonis est, quibus & benè vti possumus, & peruersè abuti, quâ profectò si Ecclesia non esset abusa, non sibi per illum sublata fuisset de quo Propheta ait, *Diuisi sunt ab ira vultus eius.* Et iterum: *Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* Sed quia solet longa

pax

pax ac prosperitas temporalis luxum & dissolutionem, mortumq; dissolutionem inducere, & rectè poterat de pace sua Ecclesia dicere: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Ideo sublata est mala pax, id est, quæ malorum fuerat occasio, vt per afflictionem discordiæ humiliata, ac per hoc cum Deo reconciliata, qui cor contritum & humiliatum non despicit, veram pacem iustitiæ, atque bonæ conscientiæ (quæ salutare vtique bonum est, Deoque gratissimum) rursus à Christo deuotè quæreret, adipiscíq; contenderet. *Arma quippe iusticiæ* secundum Apostolũ *non solùm sunt nobis à dextris, verùm etiam à sinistris:* immo frequentiùs accidit, vt quos prospera largiùs concessa à Deo auerterunt, aduersa salubriter immissa ad eum reuocent. Nec solùm per aduersa temporalia Deus nos erudit, atque ad se reuocat, sed per illa etiã quæ sunt ab illo, tanquam mala, prohibita. Quamuis enim malum sit schisma, mala discordia, quæ tanto in sacris literis studio vetantur ac detestantur, quia tamen per contraria

curam

curam eſſe oportet, illis plerumque per hæc mederi ſolet Deus, quos pax ad lubrica procliuis, aut noxia in malo concordia in moribus ægrotare fecit. Cùm autem ſic ex malis Deus bona elicit, illiſque ad bona vtitur, rationem magis videtur boni quàm mali habere, & expedientis quàm impedientis. Ex fine enim in quem diriguntur, metienda ſunt. Quare enim dicere non audeamus, Eccleſiæ fuiſſe expediens hoc ſchiſma oriri, cum de malo deteriori propter Eccleſiæ vtilitatem dicat Apoſtolus: *Oportebat hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, in nobis manifeſti fiant.* 1. Cor. 11. De illis itaque bonis eſt pax temporalis Eccleſiæ, quæ ſecundum traditionem beati Auguſtini cunctanter & trepidè, & cum adiecta conditione à Deo poſcenda ſunt, videlicet ſi noſtræ ſaluti, ad quam omnia vota noſtra referenda ſunt, ita expediat: quod vtiquè ipſe ſaluator nouit, nos autem ignoramus, ideoque illius arbitrio cuncta committere debemus. Nam iuxta Apoſtolicam ſententiã, *Quid oremus ſicut oportet*, id eſt, ſicut noſtræ

ſtræ ſaluti expedit, *neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis*, id eſt, ſalutaria ac ſpiritualia poſtulare nos facit. Ipſe enim eſt, de quo dictum eſt: *Et ſuggeret vobis omnia*. Si igitur pro temporali tantum pace Eccleſiæ recuperandâ, aliqui in vnum congregentur non continuò ſecundum prædicta neceſſe eſt credere illos in Chriſti nomine congregatos. Primò quia ignorant an ad ſalutem ipſius Eccleſiæ ita expediat, quam veriſimiliter à tumore ſuperbiæ, ardore cupiditatis, funiculis vanitatis, veneno ſymoniæ, alijſque malis moribus ex temporali affluentia prodire ſolitis, per hanc ſanare diuiſionem Chriſtus inſtituit, qui non ſineret mala euenire, niſi ex illis diſpoſuiſſet bona elicere, è quibus malis ipſam Eccleſiã, licet per hoc ſchiſma graviter & diu afflictam, nondum tamen (proh dolor) liberatam aut ſanatam videmus. Quid enim aliud ſunt temporales afflictiones, quibus Eccleſia premitur, niſi amaræ potiones, aut medicinæ, quibus temporalis cupiditas, ſuperbia vel laſciuia comprimatur?

matur? Sicut per *Hieremiam* Dominus ait: *Cibabo vos abſynthio, & potum dabo vobis aquam fellis.* Deniq; quia plerique Carnales quibus hodiè ſupra modum abundat Eccleſia, propterea pacem illam optant, vt in otio & tranquillâ quiete, nullo interpellante turbine aduerſitatis, ſuis poſſint voluntatibus (ne dicam voluptatibus) liberiùs ſeruire. Et quis illos in nomine Chriſti dixerit congregatos, qui hâc mente vnitatem quærunt Eccleſiæ? qui tamen tot ſunt, vt non facilè ſint numerabiles. Hi autem carnales filij Eccleſiæ non ſolùm ſpiritualia nec curant nec ſentiunt, ſed etiam perſequuntur eos, qui ſunt ſecundum ſpiritum, ſicut à tempore *Abel* iuſti, quem *Cain* carnalis occidit, ſemper factum eſt, & vſque ad finem mundi ſemper futurum: hi ſunt qui pro temporalibus tantùm commodis ad Eccleſiam conuolant, qui ad ſecularium formam in Eccleſia viuunt, ambiunt, cupiunt, rapiunt, præeſſe gaudent, non prodeſſe, ſubditos opprimunt atque ſpoliant, prælationis honore gloriantur,

riantur, pompis, faſtu, luxu lætantur, qui quæſtum pietatem æſtimant, pro temporaliumque incremento quomodolibet acquirendo, cuncta & facere, & pati ſunt parati; qui volentes ſanctè, iuſtè, caſtè, innocenter, ſpiritualiter viuere, cum cachinnis irrident, hypocritas appellant, crucifixoſque comeſtores, qui denique non alios literatos in Eccleſia vtiles arbitrantur, niſi qui quæſtuoſas ſunt ſcientias aſſequuti, qui temporalia didicerunt tractare, & quomodolibet tueri atque ampliare. Talibus autem hodiè Eccleſia plena eſt, vt vix ſingulis Capitulis aut Collegijs alios inuenire contingat. Cùm igitur non alij in Eccleſijs ſapientes hodiè exiſtimentur, niſi hi temporales, ad illorumque arbitrium ac diſpoſitionem vniuerſa agantur: ſi qui ad Curiam Romanam, vel ad ſecularium Principum Curias, vel ad Conſilium mittendi ſunt, aut iſti vltrò tanquam prudentiores ab alijs mittuntur, aut ſpe maioris promotionis, ad quam inhiant, per fauores, & interceſſiones maximâ oportunitate ſe immitti

mitti laborant. Quid autem eiuſmodi temporales, niſi temporalia norunt quærere? niſi temporalem quæſtum fructũque cogitare? An tales putandi ſunt pro Eccleſiæ reformatione in moribus & diſciplinâ, & vitæ honeſtate operam daturi, qui ſuam maximam calamitatem hoc eſſe deputant, qui ſibi omne quod libuerit, volunt (etiam impune) licere, qui idcircò à ſuis ſuperioribus per Romanæ ſedis præſulem magnâ pecuniarũ largitione eximi quæſierunt, vt ſuo poſſent incaſtigati viuere arbitrio? Quomodo hos credemus pro verâ & ſpirituali pace Eccleſiæ niti debere, quàm nec ſapiunt, nec intelligunt? *Animalis enim homo* (vt ait Apoſtolus) *non percipit ea quæ ſunt* 1. Cor. 2. *Spiritus Dei: Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere ea, quia ſpiritualiter examinatur.* Hæc autem pax vera & perfecta, & ſpiritualis, ſine præambula iuſtitia & gratia Dei, in vanum quæritur & expectatur, cùm de iuſtitia dictum ſit: *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Et rurſum: *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia*

pacis, vbi ſemper paci iuſtitia præmittitur. Denique Apoſtolus ait: *Iuſtificati ex fide pacem habeamus.* De gratia autem videmus apud eundem Apoſtolum, cùm in omni epiſtolari ſalutatione illis ad quos ſcribit, gratiam & pacem optet, gratiam paci ſemper anteponit. *Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.* Quis autem niſi à Spiritu Dei & ſapientiâ prorſus alienus ſperare debeat, in tanta vitiorum voragine, quantam videmus, duo iſta niſi per ingentem & ſtudioſiſſimam Eccleſiæ reformationem recuperari poſſe? Liquet ergo apertè ante veram ſolidamque pacem Eccleſiæ reformationem morum eccleſiaſticorum præmitti oportere. Alioquin Deus quomodo propter noſtra grauiſſima ſcelera tam grauiter contra nos offenſus, nobis in iniquitate perdurantibus reconciliabatur atque placabitur, niſi per vitæ melioris emendationem ipſas noſtras iniquitates relinquamus? Ait ad Eccleſiam Dominus per *Hieremiam*: *Laua à malitia cor tuum, Hieruſalem, vt ſalua ſias. Vſque-*

Rom. 5.

quò

quò morabuntur in te cogitationes noxiæ? Nam temporales quidem & carnales homines, qui pacem temporalem abſque præuia ſpirituali, in Eccleſia ponere contendunt, quid aliud videntur facere, quàm ſine poſito ędificare fundamento? Ideoq; ſuum ruere neceſſe eſt ædificiũ. Hos cum obiurgatione, grauiq́ue execratione Dominus per *Ezechielem* Prophetam arguit: *Væ Prophetis inſipientibus qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident, qui deceperunt populum meum, dicentes: Pax, pax, & non eſt pax.* Quid eſt ſequi ſpiritum ſuum, & nihil videre, niſi humanâ, carnaliq́ue ſapientiâ abſque ſpiritus ſancti gratia pacem in Eccleſia velle ponere, cùm ipſa ad Deum orat Eccleſia: fiat pax in virtute tua. Et quid eſt dicere, Pax, pax, cùm non ſit pax, niſi pacem tantùm conſiderare temporalem, ſpiritualem negligere, ſine qua nec iſta temporalis certa ac vera haberi poteſt? Quæ alia res in Piſana congregatione Eccleſiam Dei, populumq́ue decepit, & clamare fecit, Pax, pax, cùm nulla eſſet pax,

nisi quia carnales & cupidi homines, qui vbiq; ex refrigerio charitatis superabundant, beneficiorũ ardore succensi, prorsusque excæcati, ecclesiasticam reformationem, quam boni & fideles plerique ante omnia fieri volebant, impedierunt, ad nouamq; mox electionem processerunt: quâ factâ, & promotionibus quas concupierant adeptis, pacem esse clamârunt, solutoque conuentu cum illa quam quæsierant pace, hoc est promotione, reuersi sunt? Scire ex te magnopere cupio, vtrúmne illos putes fuisse deceptos, Ecclesiamque decepisse, cùm ipsi Catholicæ Ecclesiæ se pacem dedisse retulerunt, an potiùs ab omni deceptione tàm actiuâ quàm passiuâ liberos? Et si quidem deceptos fuisse, decepisseque confiteris, cùm illi in Concilio prævaluerint, illorumque opinio fuerit Concilij definitio: vides profectò consequens esse, Concilium falli potuisse. Si autem ab omni deceptione illos censes in omnibus actis immunes fuisse, exprime (quæso) rationes, quibus ad ita sentiendum

dum inducaris. Ego enim meæ ignorantiæ in hac re & alijs mihi conſcius, nec illas excogitare valeo, nec videre. Sed reſpondes in literis tuis, quòd ſi aliquos fortè ambitio more humanæ fragilitatis cæcauerit, ille tamen qui præſidet ſpiritus, ad finem ducit ſalutarem. Quare ergo ad certam & ſalutarem, non perduxit tunc ſpiritus vnionẽ? Quare ambitioſos vincere permiſit, Eccleſiamq; deludere, dicendo Pax, pax, cùm manifeſtiùs apparuerit illam non fuiſſe? Quæ ſi fuiſſet nõ rurſũ ſuper Eccleſiæ adunatione præſens oportuiſſet Concilium congregari. Illis adeſt ſpiritus, illos dirigit, atque ad finem ducit ſalutarem, qui dignum in ſe hoſpitium illi parauerunt, ſequè eius aſpiratione & viſitatione (quantum in eis erat) per bona opera dignos fecerunt. Illos autem quomodo audiat, aut viſitet, aut illuſtret, qui ſibi aduerſantur, illumq; cum in ſe non poſſint, in alijs extinguere nituntur, qui pro igne charitatis, ardore ſunt ambitionis inflammati? Nihil autẽ tam charitati aduerſum eſt, quàm cupiditas

Rom. 5. ditas, quæ *Charitas* (teſte Apoſtolo) *non eſt ambitioſa, vtpote quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Qui præterea nihil non modò probare, ſed nec patienter audire poſſunt, quod ſuæ voluntati vel cupiditati contrarium ſit, qui nihil de ſpiritualibus donis guſtantes, ſi quis aliquid de ſpiritu dixerit, velut inſulſum atque inſipidum, cum riſu & ſubſannatione excipiunt, cũ ſibilis exufflant: cum clamore & contentione reijciunt. Qui ficto denique fallaciáque corde ad ſacra Dei negotia tractanda accedentes, dicunt ſe quæ Dei ſunt quærere, quæ pacis & ædificationis ſectari, cùm re vera nõ quæ Dei ſunt, ſed quæ ſua ſunt quęrant, ſingula quæque ex ſui placiti vel cõmodi reſpectu ęſtimãtes. Audet Paulus in epiſtola ad Phillippenſes de Chriſtianis fratribus ſui temporis, immo de proprijs comitibus loquens dicere: *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt,* Phil. 2. *non quæ Ieſu Chriſti.* Quod ſi de illis ait tẽporibus, quibus Chriſtianæ religionis recens adhuc creditur zelus magis incaluiſſe,

luiſſe, cur de terrena fece noſtrorum temporum non idem nobis liceat dicere? Talibus autem fictis & ſua quærentibus non adeſſe ſolet ſpiritus ſanctus, ſed illos velut inimicos effugit, de quo ſcriptum eſt: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu.* Vbi non alium puto conuenientiùs intellectum debere accipi, quàm illum qui inter eius dona numeratur qui hominem de illorum facit ſorte: de quibus dicitur: *Erunt omnes docibiles Dei*: aut ſcilicet ad ea quæ ſunt audienda, & dicenda, & amplectenda, libenter cor inclinet, & patienter commodet aurem, nec tam velit per tumorem arrogantiæ, ſcientiæque oſtentationem doctor aliorum videri, quàm per humilitatem & ſobriam de ſe æſtimationem, erga illo quos ſe meliores, ſacrorumque cœleſtium peritiores exiſtimat, diſcipuli vicem tenere. Ideoque non dictus eſt ſpiritus ſanctus doctrinę, ſed ſpiritus ſanctus diſciplinæ, quia non tam doctorem quàm docibilem reddit hominem. Docibilem Ier. 31.

cibilem inquam, quantum ad ipſum pertinet ſpiritum, qui interiùs docet de omnibus, & quantum ad ſpirituales viros: *Qui* (ſecundum Apoſtolum) *omnia iudicant, & ipſi à nemine iudicantur.*

Nam ad ſimpliciores quidē inſtruendos illos doctores eſſe vult quos repleuerit. Et licet ex igne zeli cœleſtis illos velit conſtanter & ardenter docere, propter quod in linguis igneis apparuit, tamen humiliter & modeſtè ſuam vult doctrinam effundi: *Modeſtia* (inquit) *veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Et alibi: *Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite in ſpiritu lenitatis, non tumidè, non arroganter, non clamosè aut contentiosè, non vincēdi aut apparendi, vel ſcientiam ſuam inaniter oſtentandi ſtudio.* Ab illis itaque cogitationibus ſe aufert ſpiritus quæ ſunt ſine intellectu, quia ab illis mentibus ſe ſubſtrahit, quæ ſenſu carnis inflatæ, maioraque de ſe præſumentes, ipſi neſciunt ſpiritui, qui benignus & humilis eſt, humiliter ſubdi, ſuiſque aſſertionibus pertinaciter inſiſtentes, nec ab alio quolibet, nec ab ipſo-

met

met ſpiritu ſunt paratæ doceri, cum Dominus per Prophetam dicat: *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem ſermones meos?* Quod ſi non niſi ſuper iſtos, dominicâ atteſtatione, requieſcit, & ſecundum mores hodiernos pauci admodum tales veriſimiliter in conſilijs ſunt, in omniq́ue cœtu, carnalium aut & temporalium & ambitioſorum, & contentioſorum, & illâ quæ inflat, ſcientiâ tumentium, turba ſolet adeſſe copioſa: vide quemadmodum neceſſe eſt credere, ipſum ſemper in concilijs vincere ſpiritum, conſultantiumq́ue mentes ſibi ſemper reſiſtentes, obicemq́; ponentes, ad illa quæ ſaniora ſunt atque ſalutariora perducere, præſertim cùm à maiori numero concordium ſententiarum Conſilij ſoleant decreta procedere. Iſta non dico aſtruendo, ſed inquirendo potius, vt per te poſſim certior fieri, quomodo putes Spiritum ſanctum in conſilio præſidere, atque ad ea quæ ſalutis ſunt, hominum minimè ſpiritualium mentes inflectere ac traducere. Nec iſta

propter

Concilium Constantiense.

propter præsens dico consilium, de cuius salutari fructu plus quàm de aliquibus præcedentibus in Domino spero, cùm de Ecclesiæ reformatione, quod in pacis reconciliatione caput esse debet, & iam multa illic tractata audiam & assiduè tractari, quanquam etiam multa ibi sæpe incidere dolens audio, quæ non tam fructus spiritus sunt, quàm carnis opera, contentiones, æmulationes, dissensiones, sectas, animositates, clamores insuper atque irrisiones, quæ non secundum illam fiunt grauitatem & modestiam quas desiderat spiritus, quasque in pacis esse consilio oportuerat.

Attende igitur quàm necesse sit, probos ac iustos viros, & spiritus sancti, non cupiditatis igne feruentes, ad consilia destinari, qui non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, vt piam illius mereantur assistentiam, qui de congregatis in nomine suo dixit: *In medio illorum sum.* Et de quo per Prophetam dicitur: *Oculi Domini super iustos*, piamq; etiam sui spiritus suggestionem, de qua ait, *et suggeret vo-*

Psal. 34

vobis omnia. Qui etiã *Spiritus* (vt ait Apoſtolus) *ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis*, id eſt, ſanctos ea quæ ſecundum Deum ſunt poſtulare facit: nec tantũ poſtulare, ſed etiam aſſequi. Rom. 8.

Solebant antiqui patres Conſilium celebraturi, ieiuniorum abſtinentiâ, orandi inſtantiâ, lachrymarum inundantiâ, maximâ cordis contritione, atque contribulati ſpiritus humiliatione, in timore & tremore Spiritus ſancti aſſiſtentiam, ſuffragiumque implorare, ſummâ ſolicitudine ac vigilantiâ cordium ſuorũ latebras emundantes, vt nihil illic tanto hoſpite reſideret indignum, quo offenſus inde auerteretur, & propterea illis aſſiſtebat, illos dirigebat atque exaudiebat, & in cordibus ac labijs eorum gratiam ſuam diffundebat, vt non tam illi, quàm ſpiritus loqueretur in eis. Quid autem neceſſaria erat tanta diligentia, ſi exploratum habebant ſe non poſſe falli aut deficere in his propter quæ fuerant congregati? aut ex defectu preparationis vel diſpoſitionis a ſuo non poſſe fraudari deſiderio?

Le-

Legimus ſæpè in ſacra ſcriptura, propter vnius aut paucorum culpam, magnum ſæpe innocentum homninum, Deoque amicorum fuſum exercitum, nec illos adiutos aut exauditos, qui ad bella contra Dei hoſtes ſincerâ mente proceſſerant. An non ſola ouis morbida vniuerſum ſępe gregem inficit? Cùm itaque ex vnius voce ac ſententiâ tota ſæpe congregata pendeat multitudo, cur non ſicut ille in iudicio falli poteſt, ita ipſam totam fallere multitudinem, maximè ſi ex humana præſumptione, aut aliâ iniquitate falli digna ſit? Nonne per omnia rectè agere & nunquam falli vel deficere ſolius Dei eſt? Sciant Gentes quoniam homines ſunt, non Dij, non Angeli, non Sancti confirmati. Si autē homines fragiles ſunt, peccabiles ſunt, mendaces ſunt: *Omnis* enim *homo mendax*. Varijs præterea paſſionibus atque ignorantijs, quæ ſæpe iudicium excæcant, obnoxij ſunt, & tanto quidem peccabiliores atque ignorantiores, quanto à peccato atque ignorantiâ vano ſe voluerint tumore eximere. Quod

ſi

ſi dixeris non ex humana infirmitate, ſed ex virtute Spiritus ſancti eſſe quod Concilium falli non poteſt, quis poteſt certam habere notitiam, quòd maiori parti Concilij, quam præponderare oportet, Spiritus adſit? Quis audeat dijudicare ſe dignum eſſe, cui gratia ſancti Spiritus adſiſtat, cùm nemo ſciat vtrùm amore an odio dignus ſit? Apoſtolus apertè dicit, *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum, ſed neque meipſum iudico, qui autem me iudicat, Dominus eſt, cui ſcilicet ſoli nota eſt puritas mentium.* Dices fortè eſſe veriſimile gratiam Spiritus ſancti ſemper aliquibus vel paucis in Concilio adeſſe, quorum ignitâ atque efficaci perſuaſione ad illa quæ ſalutis ſunt cæteros attrahat, dans voci eorum, tanquàm voci ſuæ, vocem virtutis, quâ in animo audientium protenſiùs influant. Quoniam (vt ait *Salomon*) *verba ſapientum ſunt quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi.* Poſſunt tales (ſi qui ibi ſunt) illos monere, quorum corda Deus tetigerit, quiq; ex debita diſpoſitione & Spiritus ſancti

1. Cor. 4.

prę uentione ad ſpiritualia ſunt capienda idonei. Alioquin ſi multitudo propter peccata atque indiſpoſitionē indigna eſt decipi, paucos ad ſe illi flectunt viri ſpirituales, nec qui poſſint aduerſus alios prę ualere. Nonne in Concilio *Achab* ſanctus Propheta Domini *Micheas* adfuit, qui ea quæ ſuggerebat Spiritus ſanctus intrepidè dixit, nec tamen regi aut cæteris malis Prophetis ex ſenſu ac ſpiritu proprio loquentibus aliquid perſuaſit, quoniam digni erant decipi, quemadmodum ad ſpiritum mendacem qui ad illos decipiendos mitti petierat, prædixerat Dominus: *Decipies & prævalebis.* Quis autem poſſit certò ſcire, an maior pars Concilij ſit digna decipi, ex qua pēdet definitio? Lege apud *Hieremiam* Prophetam, quid de templo ſuo Dominus loquatur contra illos qui ſibi falsò promittebant, quod propter eorum iniquitatem Deus illud non deſereret. *Nolite confidere* (inquit) *in verbis mendatij, dicentes templum Domini eſt, quoniam ſi benedixeritis vias veſtras & ſtudia veſtra, ſi fece-*

Hier. 7.

feceritis iudicium, & cætera multa quæ illic ſequuntur, *habitabo vobiſcum in loco iſto*. Deinde cùm plurima illorum peccata enumeraſſet, adijcit atque ait: *Ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua inuocatum eſt nomen meum in oculis veſtris. Ite in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei: & nunc quia feciſtis omnia opera hæc, & non audiſtis me, faciam domui huic, in qua vos habetis fiduciam, ſicut feci Silo, & proijciam vos à facie mea.* Et conuerſo ad Prophetam ſermone ſequitur. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Vbi licèt apertè intueri, quàm modicùm apud contumaces, Deique contemptores, & apud Deum pro illis ſancti iuſtique proficiunt. Quid autem eſt templum Dòmini, niſi Eccleſia Dei? Quamuis enim ad Iudæos iſta ad literam ſint dicta, & pro illis ſcripta, tamen ſecũdum traditionem Apoſtolicam, in figura dicta ſunt illis, quæ figura Eccleſiam

Christi, moresque eius hodiernos videtur respicere. Sed adhuc fortè dices falli non posse promissa Domini, quibus *cum Ecclesia sua vsquè ad consummationem saculi se futurum spospondit.* Fateor sanè certum esse illa falli non posse, sed vbi & cum quibus per gratiam in Ecclesia sua sit, non nostrum, sed illius est nosse. *Novit Dominus qui sunt eius* (inquit Apostolus,) nos autem quomodo nosse possumus? In sola potest muliercula per gratiam manere Ecclesia, sicut in sola virgine tempore passionis mansisse fertur. Nunquid maioris erit authoritatis aut prærogatiuæ Concilium Episcoporum huius temporis, & propter illorum iustitiam quorundam cum illis doctorum hominum, quàm congregatio Apostolorum fuit, qui tamen omnes declinauerunt & trepidauerunt? Nunquid prætereà maioris erit prærogatiuæ, quàm vniuersa militans Ecclesia? in qua dixit *Augustinus* non impleri posse quod ait Apostolus: vt *exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam,*

sed

ſed tantùm in cæleſti Hieruſalem, vbi verum erit quod ſcriptum eſt: *Sine macula ſunt ante thronum Dei.* Quid aliud credere poſſumus cauſæ eſſe, quare illa quatuor Concilia (quæ tantâ præ cæteris excellentiâ commendat *Gregorius*) ſcilicet, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum primum, & Calcidonenſe, tam in ſingulari ſint inter alia veneratione ſacroſancta habita, niſi quia ex ſanctis erant hominibus collecta, ſanctiqúe in terra habebantur, qui illuc conuenerant? Proptereaque in illis & per illos ſuas mirificauit Deus voluntates, ſicut per ſanctum Prophetam dixit: *Sanctis qui ſunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis.* Spiritus enim vbertate ditati, pinguedineque ſaginati nihil petierunt aut conſtituerunt, niſi quod vellet Deus, & propterea non ſunt fraudati à deſiderio ſuo. Tales congregat Spiritus ſanctus, talibus adeſt, in medio talium verſatur & volitat, & delitiæ ſibi magnæ ſunt cum talibus eſſe filijs hominum. Secùs autem de illis, de quibus vno interiecto verſiculo

lo ſubiungitur : non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus. Quæ autem ſint conuenticula de ſanguinibus, quæ ſe non congregaturum dixit Spiritus ſanctus, neſcio, niſi illa eſſe dicantur, quæ ad tractandum de temporalibus vel carnalibus congregata ſunt. Sanguis quippe & carnalia ſignat, vt: *Libera me de ſanguinibus*: & temporalia interdum, vt in Eccleſiaſtico: *Panis egentium vita illorum, qui hunc defraudat, vir ſanguinum eſt.* Quid autẽ aliud quàm carnales ſunt, qui Concilij negotia clamosè, contentiosè, paſſionaliter & iracundè, cum iurgio & amaritudine tractant, ſecundum illud Apoſtolicum: *Cùm ſint inter vos zelus & contentio, nonnè carnales eſtis?* Ex ſtatu quippe & habitudine congregatorum magna ex parte pẽdere videntur euentus atque diffinitio Conciliorum, quoniam plerunque ſecundum merita poſcentium Deus poſtulata concedit, vel abnegat. Duo namque iam ante pauca tempora ſuper ſchiſmatis abolitione facta ſunt Concilia, &

in

in ambobus à votis & spe excidimus, vtinam in tertio isto voti compotes simus. In secundo autem illorum Conciliorum audisse te arbitror quid contigerit. Res nempè ita peruulgata fuit, vt vix aliquem latere potuerit, quam illo tempore ex veridico comperi authore, & qui me minimè fallere (vt puto) voluisset, & quam paucis (si fortè non audisti) volo referre.

Conuocauerat ante quatuor fermè annos Romæ Concilium Ecclesiæ, maximâ quorundam compulsus instantiâ, *Balthasar* ille perfidissimus, nuper è *Petri* sede (quam turpissimè fœdabat) eiectus, in quo paucissimis concurrentibus extraneis, ex aliquibus qui adfuerant Italicis ac Curialibus, sessiones aliquot tenuit, in rebus superuacuis, nihilque ad vtilitatem Ecclesiæ pertinentibus, tempus terendo, consumptas. Cùmque ante primam Concilij congressionem pro inuocatione sancti Spiritus solito fuisset de more Missa celebrata, vbi Concilium assedit, ipseque *Balthasar* in parata sibi Cathedra sublimior præsidit, ecce dirus

ac feralis bubo, funeris aut alterius (vt ferunt) calamitatis semper nuntius, è latebris suis erumpens, cum sua illa horrifica voce continuò aduolat, super trabemq; Templi mediam, oculis in *Balthasarem* directo intuitu coniectis astitit. Cœperunt vniuersi mirari, quòd nocturna auis & lucifuga, diurnâ luce in turbę medium aduenisset, malumque omen ex prodigio non immeritò auspicabantur. En, inquiebant, suppressâ voce alter ad alterum, in specie Bubonis Spiritus adest. Cùmque cæteri & se mutuò & *Balthasarem* spectantes atque intuentes, vix risum tenerent: *Balthasar* ipse (in quem solùm ille fixâ acie oculos intenderat) rubore suffusus, sudare, angustiari, atque intra semetipsum æstuare cœpit, tandemq; non inueniens quâ aliâ posset ratione suæ tantæ confusioni consulere, soluto Concilio, surgens abscessit.

Sequuta est deinde altera sessio, in qua rursum more simili (licet vt credo, minimè vocatus) bubo adesse non omisit, verso semper in *Balthasarem* contuitu.

Quem

Quem ille redijſſe conſpiciens, maiori quàm priùs verecundia meritò conturbatus eſt, nec illius vltrà ferre prævalens conſpectum fuſtibus illum, terrificiſque clamoribus abigi præcepit. Sed ille nec vocũ inquietudine, nec alijs tremefactus moleſtijs effugere voluit, donec fuſtium crebris ictibus acerrimè pulſatus in conſpectu omnium exanimis decidit. Hæc ex quodam fideli amico didici, qui illis diebus recto gradu Roma veniebat, ſuper quibus cum propter rei inſuetudinem hæſitare cœppiſſem, per me vehementiſſimè adiuratus, veriſſima ſe retuliſſe confimauit. Addebat autem omnes qui aderant, in magnum contemptum atque irriſionem conſilij ex hac re adductos, paulatimque toto dilapſo conſilio, nihil illic prorſus actum eſſe fructuoſum. Perſpice igitur quantæ videntur poſſe occaſiones deceptionis aut fallaciæ, aut fruſtrandi irritandique conſilij incidere, ſiue ex capitis indignitate, vt in illo forſitan conſilio, de quo modo loquebar, ſiue

ex

ex maioris partis aggregatorum in dispositione, quæ ad gratiam sancti Spiritus percipiendam non est rite parata, qui non nisi puras gaudet mentes inuisere: vnde sanctus Propheta rogando dicturus: *Spiritum rectum innoua in visceribus meis*, qui scilicet rectè agere doceat, & falli non sinat, non immeritò præmisit: *Cor mundum crea in me Deus*: tanquam certissimè cognoscens, se non nisi corde mundato rectitudinem spiritus qui illum in agendis, ne falleretur, dirigeret, posse consequi. Possunt insuper aliæ causæ deceptionis aut fallaciæ in Consilio contingere, siue ex nimia attentione ad pacem temporalem, aliosque temporales fructus, spiritualiumque rerum incuria, siue in aliquibus ex nimia præsumptione atque æstimatione suæ sapientiæ, per quam se putant Ecclesiæ posse subuenirre, & cui magis innituntur quàm cœlesti gratiæ, cùm de tali sit sapientia scriptum: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*, illorum, scilicet qui con-

contra Apoſtolicam admonitionem prudentes ſunt apud ſemetipſos, & plus ſapiunt quàm oportet ſapere, ſiue poſtremò ex negligentia intuendi, ſcripturas diuinas, ſanctorumque patrum dicta & ſcripta, in quibus ſacrarum, ſpiritualiumque rerum & petendarum & impetrandarum forma opportuniùs tradita inuenitur. Quæ ſi ita ſunt, vel eſſe poſſunt, nil enim affirmo, ſicut temerarium videris arbitrari generalem dicere ſynodum facilè errare aut falli poſſe, ita tuum eſt conſiderare, ne forte non omnino à temeritate alienum ſit, nunquam illam poſſe deficere, pertinaci velle defenſione aſtruere, niſi aut firmiſſima authoritate, aut certiſſima ratione ita eſſe conuinceretur. Quod etiamſi certo & conſtanti eſſet documento monſtratum, non adhuc tamen vtile crediderim illos qui ad ſynodum ipſam conueniunt, iſti inniti æſtimationi, ne fortè ſub vmbra atque occaſione talis confidentiæ, aliqua ex humana præſumptione (quæ exinde poſſet

apud

apud multos facilè consurgere) nimis leuiter sibi agenda susciperent, vel minori consideratione digesta statuerent. Optimus nempe custos disciplinæ, totiusque rectitudinis timor est, ad quem penè tota scriptura mirâ solicitudine vnumquemque hortatur. *Noli altum sapere, sed time,* inquit Apostolus. Et alibi legitur: *Beatus homo qui est pauidus.* Denique Iob sanctissimus ait: *Verebar omnia opera mea,* quare meritò rectus fuisse ac timens Deum describitur. Timor siquidem sapientes facit, atque ideo non ex facili fallibiles. *Initium enim sapientiæ timor domini. Timor iustos facit,* dicente scriptura. Qui sine timore, non poterit iustificari. Qui autem iusti sunt, exaudiri merentur, nec repulsam in votis suæ sustinere, quoniam scriptum est: *Desiderium suum iustis dabitur.* Et in Psalmis cùm dictum esset: *Oculi Domini super iustos,* statim adiunctum est, *Et aures eius ad preces eorum.* Timor postremò sanctos facit: vnde

Rom. 11.
Prou. 25.
Prou. 1.
Psal. 34.

vnde est illud Apostolicum, *Perficientes sanctificationem in timore Dei*: in talibus autem (vt suprà dictum est) voluntates suas Spiritus sanctus mirificat. Isti sunt æstus & scrupuli dubitationum, qui in re de qua inuicem conferre cœpimus, adhuc apud me remanserunt, & forsitan plures ac maiores possent alijs doctioribus occurrere. Super his autem dum tibi per otium licebit (nolo enim aliquid aliàs à te exigere) ad meam poteris instructionem, animique serenationem, quod sentiendum existimes, aperire, non similiter quidem ad omnia vel de omnibus rescribendo, quod à tua non ausim petere occupatione, sed particulatim modò ad vnum, modò ad alterum, prout & tibi videbitur, & alia incumbentia permittent negotia. Forsitan autem mihi & alijs non tanta in materijs istis occurrerent dubia, si in consiliorum diffinitionibus, vel ex scriptura diuina, vel aliundè rationes, atque probationes essent adiectæ. Quoniam 2. Cor. 7.

niam (vt ſapientiſſimè dixit Hillarius noſter) intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, quod à principio dixi mihi videri rectius fuiſſe. Ex his igitur atque alijs, quæ tibi fortè cogitanti meliùs occurrerent, vides vt puto quàm congruum fuiſſet, vt non dicam neceſſarium, legitimis aliquibus documentis tantas confirmandas fuiſſe nouas æditiones, quarum omnium non alia affertur probatio, niſi quòd per generalem ſunt ſynodum conſtitutæ, quæ falli aut errare non poteſt, quod an ad perfectam illarum intelligentiam ſufficiat tu vides, vbi præſertim tanta ex ſcripturis obſtare videntur, quæ etſi non apud doctiſſimos, apud ſimplices tamen & minùs doctos magnam poſſunt ambiguitatis, vel ſcandali præbere materiam. Tibi verò non ignotum eſt, quantâ curâ caueat & moneat Chriſtus, quantâ inſuper Paulus Apoſtolus, ne paruulis in Chriſtum credentibus occaſio præſtetur ſcandali. Iſta autem

autem non in reprehensionem, calumniamque Consilij rite, & cum Dei timore plusquam humana præsumptione celebrati, sed (Deo teste) in quietem pacationemque animi mei apud te aperire volui. Benè igitur fecerit tua charitas, si huic meæ mentis anxietati, pro concessa sibi à Deo doctrinâ mederi studuerit, per reiqúe obscuræ & inuolutæ elucidationem pro me, atque alijs simplicioribus scandali radicem procidere. Nihil autem (vt iam sæpè dixi & repetere nequaquam piget) in his aut alijs scriptis astruere intendo, nisi quod Catholicæ sit integritati perfectè consonum. Si quid autem minùs certum aut verum non asserendo, sed dubitando, vel argumentando proposui, quo de certitudine pleniùs possim informari, non puto quòd ad temeritatem debeat mihi imputari. Alioquin temerarium esset minùs intellecta velle à sapientioribus discere, quamuis etiam certè paratus sim, si

ea

ea quæ me mouent dubia, explicando aliquid in radice veritatis minùs fundatum, aut alicuius fortassis scandali illatiuum nimis astruere viderer, aut fideli admonitu illud eradere, aut ad lineam rectitudinis lineâ exactiori emendare.

FINIS.

De

De reformatione Eccleſiæ, Libellus reuerendiſſimi Patris *D. Petri de Aliaco Cardinalis Cameracenſis, oblatus primoribus Eccleſiaſticis in Concilio Conſtantienſi iuſſu Cæſaris Sigiſmundi cõgregatis.* Anno. 1415. *menſe Nouemb.*

Præfatio.

DE reformatione Eccleſiæ dudum plura per me ſcripta, nunc compendioſiùs recolligere, & ſacri generalis Concilij Conſtantienſis examinationi & correctioni præſentare decreui. Quæ Eccleſiæ reformatio quàm neceſſaria olim fuerit, & ampliùs modò ſit, euidenter oſtendit deflenda ipſius deformatio, de qua lamentabiliter conquerebatur beatus *Bernardus* Sermone triceſſimo tertio, ſupra Cantica ita dicens: Serpit hodiè putrida tabes per omne corpus Eccleſiæ, & quo latiùs eo deſperatiùs, eo-

que periculosiùs quo interiùs. Nam si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras & arescerét: si violentus inimicus absconderet se forsan ab eo. Nunc verò quem eijciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici: omnes necessarij, & omnes aduersarij: omnes domestici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ sua sunt, quærunt. Ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo: honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Et enumeratis quibusdam excessiuis abusibus Ecclesiasticorum subdit. Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis aduenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece Martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest, ita inualuerunt, & multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ. Et ideo in pace amaritudo eius amarissima: sed in qua pace? & pax est, & non est pax. Pax

à

à Paganis, pax ab hæreticis, ſed non profectò à filijs. Vox plangentis in tempore iſto: filios enutriui, & exaltaui, ipſi autẽ ſpreuerunt me: ſpreuerunt & maculauerunt mę à turpi vita, à turpi quæſtu, à turpi commercio, à negotio denique perambulante in tenebris. Si hæc à beato *Bernardo* dicta ſunt, nunc multò magis dici poſſunt, quia extunc de malis ad peiora proceſſit, & in omni tam ſpirituali quàm ſeculari ſtatu abiecto decore virtutum in variam cecidit turpitudinem vitiorum. Propterea extunc quidam ſpirituales malâ hæc ſubtilioris intelligentię oculo præuidentes, præſentis Eccleſiæ perſecutionem, & huius ſchiſmatis horrendam monſtruoſamque diuiſionem, ſubtractionem quoque obedientiæ ab Eccleſia Romana, & alia plura ſcandaloſa inde ſequutura prædixerunt. Sicut patet in libris Abbatis *Ioachim* & *Hildegardis*, quos non eſſe contemnendos, quorundam magnorum Doctorum probat authoritas. Hæc autem Deus miſericordiſſimus, qui ſolus ex malis bona nouit

elicere, ideò permittere credendus est, vt eorum occasione Ecclesia sua in melius reformetur. Quod nisi celeriter fiat, audeo dicere, quòd licèt magna sint quæ videmus, tamen in breui incomparabiliter maiora videbimus, & post ista tonitrua tam horrenda, maiora alia horribiliora in proximo audiemus. Eapropter summo opere vigilandum est circa reformationem Ecclesiæ. Ideò circa hoc aliquas considerationes particulares scribere, & prudentum examinationi proponere dignum duxi, nec omnes quidem, quia ad hoc & maiori libro & maiori ingenio opus esset, sed vtiliores, & meo iudicio magis necessarias, & per quas ad omnes alias via poterit faciliùs aperiri.

1. Prima autem consideratio erit, de reformandis circa totum corpus Ecclesiæ.

2. Secunda, de reformandis circa eius caput, scilicet, circa statum Papæ, & Romanæ Curiæ.

3. Tertia, de reformatione principalium Ecclesiæ partium, scilicet, Prælatorum.

4. Quarta, de reformandis circa religiones, &

& religioſos.

Quinta, de reformandis circa cæteros eccleſiaſticos.

Sexta, de reformatione laicorum Chriſtianorum.

De reformatione Eccleſiæ circa totum corpus vniuerſalis Eccleſiæ.

PRima conſideratio eſt de his, quæ viderentur reformanda circa totũ corpus vniuerſalis Eccleſiæ. Vbi primò occurrit eſſe expediens & neceſſarium, quod ſæpiùs quàm hactenus factum ſit, generalia Concilia celebrentur. Item videtur expediens, quod etiam ſæpiùs celebrarentur Concilia Prouincialia: quia vt patet 18. *diſtinct. decreti*: Sancti Patres propter Eccleſiæ vtilitatem, primo ſtatuerunt ea bis in anno celebrari. Poſteà verò propter fatigationes, & vt oportunè haberentur, hi qui congregandi ſunt, ſtatuto Synodali definierunt, omni excuſatione remotâ modis omni-

bus semel in anno fieri, & deprauata corrigi.

Vnde & Episcopi, qui ad Synodum venire contemnunt, & Principes qui hoc prohibent vel impediunt, vel Metropolitani qui absque rationabili causa hoc agere negligunt, canonicis pœnis subiacent, ut hæc probantur in dicta *distinct.* quasi per totum, & in multis Canonibus Conciliorum, vt in secundo capite Carthaginensis Concilij tertij: & in alio capitulo Toletani Concilij sexti, & in tertio capitulo quarti Concilij Toletani, vbi sic legitur: Nulla penè res disciplinæ mores ab Ecclesia Christi magis expellit, quàm negligentia sacerdotum, qui contemptis Canonibus ad corrigendos mores Synodos facere negligunt. Et certè hodiè docet experientia quot & quanta mala ex huiusmodi negligentia proueniant. Et ideo necesse est prouidere, vt huiusmodi Concilia sæpiùs fiant, & si non semel in anno iuxta rigorem Canonum, saltem de triennio in triennium ad euitandum vexationes itinerum laborum & expen-

expenſarum, & quia omne rarum, pretioſum. Et ſi dicatur, quòd hodiè non eſt opus generalia aut prouincilia Concilia congregare, ſicut fuit in primitiua Eccleſia: & quod ad tollendum vexationes Prælatorum in huiuſmodi Concilijs, Romana Eccleſia ſeu Papalis Curia poteſt ſufficienter caſibus emergentibus reſpondere: reſpondetur, quòd hoc non eſt vtique verum. Tum primò, quia experientia docet, quòd propter defectum Conciliorum, & maximè generalium totius Eccleſiæ, quæ ſola poteſt audacter & intrepidè omnes corrigere, ea mala quæ vniuerſalem tangunt Eccleſiam diu remanſerunt impunita, incorrecta & adeò creuerunt, & inueterata ſunt, vt tandem multa iniuſta & iniqua ſub prætextu fictæ & corruptæ conſuetudinis licita reputẽtur. Item multi ſuſpicantur, quòd hæc diſſimulauerat Romana Curia, & ſuper hoc Concilia fieri neglexerit, vt poſſet ad ſuæ voluntatis libitum pleniùs dominari, & iura aliarum Eccleſiarum liberiùs vſurpare. Quod non aſſero eſſe

verum; ſed quia contra eam huiuſmodi laborat infamia, debuit ad eam purgandam ſuper congregatiuè Conciliorum generalium & prouincialium prouidere. Alioqui, iuxta dictum *Auguſtini*, Si famam ſuam negligit, crudelis eſt. Item illa ſanctiſſima Romana Curia ſancti *Petri* & Apoſtolorum, licèt potuiſſet ſine congregatione Concilij per epiſtolas, vel alias vias, cauſas & negotia Eccleſiæ faciliter terminare: tamen legitur quatuor Concilia celebraſſe, ſicut patet in *Actis*, 12. 15. 16. *cap.* vnde per hoc exemplum inſtructionis de ſæpè congregandis Cõcilijs, ſuis poſteris reliquerunt. Nam ſicut Chriſti, ſic & Apoſtolorum ſuorum à capite noſtro eſt inſtructio, iuxta illud Apoſtoli: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Item in quarto capite Canonis dicit *Iſidorus:* Quòd quia ante tempora *Conſtantini*, non erat Epiſcopis licentia conueniendi in vnum, ſcilicet, publicè per modum Concilij generalis, ideò Chriſtianitas in diuerſas hæreſes ſciſſa eſt. Et ita dicere poſſumus modò, quòd

quòd propter defectum celebrationis Conciliorum, Ecclesia in diuersa schismata, & alia innumerabilia mala fortè etiam ad hæreses disponentia (proh dolor) lapsa est, sicut experientia docet. Item si Concilia celebrata fuissent, verisimile est, quod hoc nefandũ schisma non tamdiu perduraſſet, nec fortè schisma Græcorũ. Vnde huiusmodi schismatibus debuisset citò per Conciliũ generale prouideri, vt in Primitiua Ecclesia docuerunt Apostoli, prout legitur Actorum sexto, quod quia ortum est murmur Græcorum aduersus Hæbreos, &c. statim duodecim Apostoli ipsum conuocata multitudine sedauerunt. Similiter Actorum decimo quinto, orta dissensione propter obseruantiam legalium, sancti Paulus & Barnabas ascenderunt ad Apostolos in Hierusalem.

Vnde patet quod valde damnabiliter peccauerunt illi Principes & Prælati, qui pro sedatione huiusmodi schismatis, conuocationem Concilij neglexerunt aut impediuerunt. Item aliqui sunt casus, ardui

ardui necessariò reformandi, in quibus non potest commodiùs quàm per generale Consilium prouideri, sicut patet primò de Reformatione Romanæ Curiæ, quæ vt infra dicetur, necessaria est reformari, sicut nec contempsit à generali Consilio plures principatus honores recipere, quia licet principaliter Romana Ecclesia principatum habuerit à Domino, tamen secundariò à Concilio, vt dicit Gloss. 17. distinct. super capite Concilia. Item reformatio totius corporis Ecclesiæ, & particularis Ecclesiæ Romanæ est de arduis pertinentibus ad finem. Nam eius generalis deformatio non mediocriter fidem tangit, & per consequens eius reformatio. Ideo non debet Papa, aut eius Curia, deliberationem Consilij respuere, quia sicut dicit Glossa 19. distinct. super cap. Anastasius. Papa debet requirere consilium Episcoporũ, vbi agitur de fide. Quod nõ solũ intelligo de articulis fidei, sed de arduis tangentibus vniuersalem statum fidelis Ecclesiæ. Quod notat Archidiaconus 15. distinct. in ca. vbi dictam

Glos-

Glossam approbans addit, quod nimis periculosum esset fidem nostram committere arbitrio vnius hominis. Et idcirco Papa in casibus nouis & arduis ad deliberationem Concilij recurrere consueuit. Item duo sunt arduissimi casus fidem & fideles omnes mutabiliter & miserabiliter concernentes, quibus esset per generale Concilium necessariò prouidendum.

Vnus est de modo prouidendi contra Sarracenos & alios infideles, fidem & Christianitatem impugnantes, & nunc multò periculosiùs quàm à multis retroactis temporibus fecerunt, contra Ecclesiam Catholicam insurgentes. Quibus si celeriter non obuietur timendum est, ne Constantinopolitanum Imperium iam multipliciter ab eis laceratum & vexatum penitus destruatur. Ac deinde Romanum Imperium iam diuisum, & penè ad ruinam præparatum inuadant, & sic Ecclesiam destruant iam schismate laceratam, vt sic via præparetur aduentui Antichristi, de quo prædixit Paulus:

Nisi

Nisi venerit dissensio primum, &c. quod exponit Glossa de duplici dissensione seu diuisione, vna ab Imperio, alia ab Ecclesia Romana, quæ præuenire debet Antichristum. Et vtramque iam præsentialiter multi deuoti fideles non immeritò pertimescunt. Alius casus est de modo prouidendi circa Græcos, vt ad vnitatem Romanæ Ecclesiæ reducantur, quod nunc maximè opportunè fieri posse videtur, dum eorum Imperator inter Latinos degens à Romana Ecclesia, & dominis temporalibus, præcipuè à Francorum rege contra Infideles cogitur auxilium & subsidium postulare. De vijs autem & modis circa dictos casus seruandis scripserunt plures fidei zelatores & specialiter frater Humbertus de Romania quondã magister quintus ordinis Prædicatorum tractatum vtilem composuit, vt super his prouideretur in Concilio generali Lugdunensi, sub Gregorio Papa decimo, celebrando.

De reformatione Capitis, hoc est, status Papalis, & suæ Romanæ Curiæ, & Cardinalium.

SEcunda consideratio est de his quæ reformanda videntur circa caput corporis Ecclesiæ, id est, circa statum Papæ & suæ Romanæ Curiæ. Et primò tollendus esset detestabilis abusus à quo primo schisma originem traxit, scilicet, quòd vna natio siue regnum, aliquando vltra, aliquando citra montes, in scandalum residuæ Christianitatis, ita diu Papatum tenuit, vt posset dicere, Hæreditate possideamus sanctuarium Dei. Quod quàm detestabile sit præcipuè in Papatu, ostendit ille qui ait, *In veritate comperi quod non sit personarum acceptor Deus, &c.* Act. 10. Item pro dicta prouisione esset statuendum, quod de cætero maior pars Cardinalium non posset assumi de vno regno siue de vna natione sicut quandoque hactenus factum est, in magnum scandalum plurimorum, sed quod de diuersis regnis & prouincijs in distinctè iuxta personarũ me-

merita aſsumantur. Quia ſicut apud Deum, ita apud Dei Miniſtros non debet eſse acceptio perſonarum. Et videretur ſufficere, quod de vna prouincia ſolum eſset vnus Cardinalis, vt ſic in eorum promotione, & multiplicatione tolleretur, vel ſaltē reſtringeretur & arctaretur carnalis affectio promouentis. Et vt per aſſumptos de diuerſis prouincijs, diuerſitas morum & ſtatuum earundem, Romanæ Eccleſiæ innoteſceret ad vtilitatem & ſalutarem prouiſionem incolarum. Item quia vna cauſa præſentis ſchiſmatis fuit, quod Cardinales nimis tardauerunt declarare, & fideles ſufficienter informare, quòd primam electionem feciſsent vi & metu. Ideo ad tollendum ne aliàs ſimilis ſcandali detur occaſio, expediens videretur arctari aliquod tempus, ita quod talis exceptio deberet allegari, & vltra quod nec illa nec alia exceptio contra Papæ electionem poſset per Cardinales opponi. Et eſset etiam per Concilium declarandum quis de huius cauſa metus haberet cognoſcere. Quia Io. An. ſuper Cle-

Clemen. de electione quærit, quis de huius causa metus cognoscere haberet, si allegaretur circa electionem Papæ. Et respondens, dicit, quod ista nondum decisa, nec prouisa, egebunt prouisione. Item necessaria erit reformatio & prouisio circa grauamina, quæ Romana Ecclesia infert alijs inferioribus Ecclesijs & Prælatis. Et maximè in tribus de quibus conqueritur præallegatus frater Humbertus, in dicto tractatu suo parte 2. ca. 11. vbi dicit, quod causa dispositiua schismatis Græcorum inter alias vna fuit propter grauamina Romanæ Ecclesiæ in exactionibus, excommunicationibus & statutis.

De primo grauamine, & contra hanc multitudinem & magnitudinem exactionum, prouidendum esset tripliciter. Primò per diminutionem pomposorum statuum & excessiuarum expensarum, vt sic Romana Ecclesia minùs esset onerosa subiectis, & vt etiam eis esset exemplum humilitatis & forma virtutis, instar Christi, cuius ipsa vicariatum, & à quo primatus honorem tenet, qui ait, *Discite*

à

à me, quia mitis sum & humilis corde. Secundo per diminutionē & arctationem huiusmodi exactionum, sic scilicet, quod certa summa rationabilis determinaretur & limitaretur pro moderato statu Papæ & Cardinalium, subiectis Ecclesijs imponenda, & per Diocœses proportionabiliter distribuenda, & à Diocœsanis recolligenda, & in certis terminis soluenda Romanæ Curiæ, vltra quam summam noua exactio non posset imponi sine authoritate & consensu generalis consilij. Tertio per diminutionem numeri Cardinalium, ita quod non esset tantus, nec tam onerosus numerus ipsorum, sicut hactenus fuit, ne Romanæ Curiæ dici posset: *Multiplicasti Gentem, & non magnificasti lætitiam.* Item circa statum Cardinalium & aliorum Ecclesiasticorum prouidendum esset, quod deinceps non tenerent illam monstruosam & multipliciter scandalosam beneficiorum multitudinem: de quo abusu antiqui sapientes conquesti sunt, sicut Guilhelmus Episcopus Parisiensis in verbo abbreuiato de

de verbis & vitijs ca.de signis auaritiæ Ecclesiasticorum quorum rationes expediret diligenter examinare & pro sedatione conscientiarum, quid super hac re tenendum sit, declarare.

De secundo grauamine supratacto, scilicet, multiplicatione excommunicationum,& ex consequenti irregularitatũ, quas Romana Ecclesia in suis constitutionibus pœnalibus & maximè in quibusdam nouis decretalibus imposuit, & sæpè per suos collectores in multorum scandalum fulminauit, & ad cuius exemplum alij prælati leuiter & pro leuibus causis vt pro debitis, vel huiusmodi pauperes excommunicatione crudeliter percutiunt, necesse est prouidere, cùm hoc sit contra iura, vt 11. *quæst. 3. Can. Nullus enim sine concord.* Nam gladius Ecclesiæ, videlicet excommunicatio,qui in primitiua Ecclesia, venerandâ raritate erat formidabilis, iam propter abusum contrarium, contemptibilis effectus est, sicut ostendit Doctor subtilis *Iohannes Scotus* super quarto sententiarum *dist.* 18. Qui

tamen contemptus valdè periculosus est, quia excommunicatio maior, quæ anathema dicitur, æternæ est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illis qui aliter non potuerunt corrigi, vt habetur 11. *quæst. 3. Can. Nemo.* cui concordat *gloss. extra de v. sig. ex parte.*

De tertio grauamine ratione Ecclesiç, quòd imponit alijs in onerosa multitudine statutorum, Canonum, Decretalium, & maximè illorum quæ videntur ad graues pœnas, & præcipuè ad mortales culpas obligare: & eadem ratione de similibus statutis & constitutionibus synodalibus prælatorum prouidendum erit de rationabili alleuiatione huiusmodi onerũ, ne de Prælatis Ecclesiæ verificetur, quod de Pharisæis & sacerdotibus Synagogæ à Christo improbriando dictum est: *Imponunt onera grauia & importabilia in humeris hominum, digito autem nolunt ea mouere.* Item super quibusdam alijs grauaminibus per Romanam Ecclesiam alijs Prælatis & Ecclesijs superinductis adhibenda

benda erit prouiſio, videlicet ſuper collationibus beneficiorum, & electionibus dignitatum. Similiter ſuper conceſſionibus exemptionum, quas Romana Eccleſia pluribus religionibus, Abbatibus, & conuentibus, ac capitulis in præiudiciũ Prælatorum conceſſit, de quibus iam olim plures deuoti Eccleſię zelatores conqueſti ſunt, ſicut beatus *Bernardus* in libro ad *Eugenium* Papam, & alij. Similiter de pluribus alijs honoribus, reuerentijs, & præeminentijs, quas quidem officiari Romanæ Curiæ ſuper alios prælatos vſurpauerunt. Et de multis eorum particularibus exceſſibus, de quibus longum eſſet per ſingula diſcurrere, perutilis & neceſſaria erit prouiſio. Hic autem propter dictos exceſſus dudum quandã opinionem recitaui, quam nuper in tractatu de eccleſiaſtica poteſtate, tanquam erroneam reprobandam eſſe declaraui, videlicet quorundam detractorum Romanæ Eccleſiæ, qui in eius odium prætextu quorundam abuſuum, ſtatum Cardinalium, quem inutilem & damnoſum,

nec ab Apoſtolis vel Concilijs inſtitutũ, & ſine cauſa rationabili vſurpatum tanquam oneroſum Eccleſiæ, extirpandum eſſe dixerunt, ſicut olim de ſtatu Cõrepiſcorum factum eſſe legitur 68. *diſtinct. cap. Corepiſcopi.* Hunc autem errorem in hac ſancta Synodo Conſtantienſi quodammodo reſuſcitare aliqui præſumpſerunt. Qui vtinam attenderent iuxta doctrinam Chriſti, priùs trabem de oculo eijcere, quàm feſtucã de oculo fratrum, immò patrum ſuorum. Vtinam attenderent ſtatus Epiſcoporum & aliorum Prælatorum, cæterorumque eccleſiaſticorũ, ac etiam laicorum innumeris abuſibus & vitijs deformatum. Nec tamen ideò huiuſmodi ſtatus diſſipandos eſſe atq; perdendos, quoniam in multis offendimus omnes, ſed vitium vel abuſus corrigi debet, & non ſtatus deſtrui, vel ſuis debitis iuribus defraudari, ſicut boni Medici officium eſt, ab infirmo morbum tollere, & non infirmum corpus deſtruere. Vtinam denique conſiderarent qualiter domini Cardinales pro reformatione Eccleſiæ,

cleſiæ, ac ſtatus ipſorum ſe effectualiter paratiores obtulerunt, quàm quicunque alij cuiuſcunque ſtatus. Immò plura mẽbra Eccleſiæ, hîc ſuæ reformationi reſtiterunt, cùm tamen reformationem capitis importunè peterent. Quia ergo Romana Eccleſia in capite & in membris ſuis ſe cum ratione temperare ſtuduit, iuſtum eſt vt ſubditæ Eccleſiæ eidem ſuoque regimini rationabiliter obtemperare & ſubeſſe debeant, iuxta verbum *Senecæ*: Multos reges, ſi ratio te rexerit.

De reformatione Prælatorum.

TErtia conſideratio erit de reformatione Eccleſiæ circa partes eius principales, videlicet, maiores prælatos. Vnde prouidendum erit quod tales eligantur, qui non ſint iuuenes indiſcreti, aut immorigerati, aut carnales, ſpiritualium ignari, ſed graues ætate & moribus, eminentes ſpirituali ſcientiâ & doctrinâ, qui in ſuis rebus non ſint ſtrenui, & in Eccleſiaſticis remiſſi, nec propria magis quàm

communia iura procurent, qui angarias & impoſitiones vel huiuſmodi grauamina ſubiectis non imponant, qui per ſingulos annos parochias ſuas cum fructuoſo affectu viſitent, qui potentes & tyrannos populi oppreſſores arguant & corripiant, qui diuinis Scripturis ſtudeant, & non ſcientijs practicis & litigioſis totaliter inhæreant, qui verbis aut ludis ioculatorum & mimorum, aut publicis ſpectaculis vel ſuperfluis conuiuijs non delectẽtur, ſed moderato habitu & temperato victu contenti etiam in menſa lectioni diuinarum Scripturarum intendant, & vt breuiùs dicam in omnibus tales ſint, vt cæteris ſint fidelibus in exemplum, ſicut & eſſe tenentur, cùm illis in officio ſuccedant, quibus à Chriſto dictum eſt: *Vos eſtis lux mundi, & vos eſtis ſal terræ, &c.* & multa ſimilia. Item vt tales ad prælaturas aſſumerentur, & non indigni & inſufficientes, prouidendum eſſet, quòd electiones Prælatorum non faciliter aut leuiter, ſed cum diligenti & graui examinatione confirmarentur, etiã

Mat. 5.

ſi

ſi nullus ſe opponeret, quia non ſufficit bono patrifamilias conſtituenti cuſtodẽ theſauri ſui, quòd nihil mali ſibi de illo opponatur, niſi etiam ipſe alijs tacentibus de eius idoneitate diligenter inquirat. Item, quia ſtultum eſſet, patrem familias theſaurarium facere ſine theſauro, ſic ſimiliter facere Epiſcopum ſine ſubiecto populo, ſicut ſæpè fecit Romana abuſio in contemptum ſtatus epiſcopalis, de quibuſdam ſolùm titulatis Epiſcopis mendicantibus & gyrouagis. Item, quia mali prælati rarò de ſuis exceſſibus corriguntur, quia non citò etiam contra notoriè malos profertur ſcientia, ſed per multos annos differtur, & ſæpè eius punitio totaliter negligitur, idcirco abſque timore mala perpetrant, & plerique eorum, ſuſpenſionis, excommunicationis, irregularitatis, & alias iuris pœnas contemnunt: ideò prouidendum erit, quòd circa talia viſitatio & inquiſitio fiat, vt taliũ vita & fama in prouincialibus Concilijs, vel ſi opus ſit quandoq; in generali Cõcilio, ſummo Pontifici referantur, & ad

eorum depoſitionem ſeu aliam condignam correctionem procedatur. Et licèt hodiè Concilium non deponat vel reſtituat Epiſcopos, ſed ſolus Papa, vt 2. *qua.* 6. Ideò ſicut notat Gloſſa 11. *quæſt.* 3. *cap.* Epiſcopus ſuper verbo *ſynodo*: tamen fortè nunc expediret ad antiquum morem illius capituli reuerti, vt à generali ſynodo damnarentur vel abſoluerentur Epiſcopi, vel ſaltem quod hoc fieret in præſentia ſynodi, vt ſic magis ceſſarent inordinatæ affectiones, quæ ſolent in talibus iuſtam ſententiam impedire. Item, ſi non placeret ſeruare illum antiquum rigorem Carthaginenſis Concilij quarti, vt Epiſcopus vilem ſupellectilem, & menſam ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ authoritatem fide & opere, & vitæ meritis quærat, ſaltem placeat moderari quòd exceſſiua pompa Prælatorum, in veſtibus, ornamentis, familiaribus equis, conuiuijs & ferculis ad congruam temperantiam reſtringantur, & quod expensè in talibus ſuperfluè (ſicut fieri debet) pauperum neceſſitatibus applicentur.

Item

Item tollatur monstruosus ille abusus, quo quidam Prælatorum armis spiritualibus depositis, arma corporalia assumunt in campis, sicut principes seculares,& sæpè cum oppressione pauperum, & crudeli effusione sanguinis, cùm tamen Dauidi ab ædificatione Templi, qui vir sanguinum erat prohibitus sit. Item,si non placet seruare illum iuris rigorem, quòd non liceat Episcopis à sua Ecclesia plus tribus hebdomadis abesse, saltem prouideatur quod sine speciali licentia & rationabili causa diu Ecclesias suas in præiudicium animarum non deserant, sicut hodie multi Prælati faciunt. Item quod monstruosius est, religiosi & monachi, qui plus sunt officiales fisci, quàm Christi in curijs principum & Cathedris iudiciorum, vt cameris computorum, & alijs actibus secularibus militantes contra statuta Canonum, vt 11. qu.1: Cum te quidē,cum suis similibus. Item prouidendum erit,quod Prælati in suis synodis & eorum officiales in suis curijs, non ad repletionem bursarum intenten-

tendant, ſed ad correctionem vitiorum, emendationem morum, & ædificationem animarum. Et quod exactiones pro ſigillis & literis moderentur, & pænæ pecuniariæ vel tollantur vel temperentur, aut in totum vel partem ad pios vſus notoriè applicentur, & quòd pæna excommunicationis non leuiter (vt ſupra tactũ eſt) feratur. Et quod litium prolixitates quæ pauperes ſpoliant, & multos de ſuæ iuſticię proſequutione deſperare faciunt, modis congruis reſcindantur. Et quorundam aduocatorum & procuratorum inſolentia intolerabilis reprimatur. Item ſi obſtante conſuetudine non placet ſeruare illam rigoroſam regulam contra ſymoniam iure humano impoſitam, vt nihil pro ordinatione aut pallio detur, aut accipiatur, vt habetur cap. 5. epſtolę tertię Gregorij Papæ, & multæ aliæ quæ ſcribuntur in antiquis iuribus, ſaltem ſuper his eſſet aliqua moderatio adhibenda, & pro conſcientiarum ſedatione etiam multitudini errantium piè condeſcendendo aliqua declaratio facienda, iuxta illud

Ni-

Nicolai Papæ qui præſidens in ſynodo Conſtantinopolitana dixit, Quia ergo vſque adeo verenda ſymoniaca pernicies hactenus inoleuit, vt vix aliqua Eccleſia valeat reperiri, quæ hoc morbo non ſit aliqua ex parte corrupta, & tanta talium multitudo eſt, vt dum rigorem Canonici iuris ſuper eos ſeruare non poſſumus, neceſſe ſit vt diſpenſatorie ad piæ condeſcenſionis ſtudium animos noſtros ad præſens inclinemus, à ſymonaicis conſecratos in acceptis ordinibus manere permittentes. Hoc enim temporis nimia neceſſitas permittendum à nobis extorſit, &c. Similiter eadem vel maiori ratione permiſſio & condeſcenſio facienda eſſet ſuper pluribus alijs iuribus & conſtitutionibus, quæ communiter in ſcandalum plurimorũ non ſeruantur. Vt verbi gratia, quod nihil omnino liceat accipere in diſtributione graduum, ordinum adminiſtratione, vel ſacramentorum, vel ſepulturarum, aut huiuſmodi ſpiritualium vel ſpititualibus annexorum. Quod non liceat quemcunque Epiſcopum vel Clericum

ricum die Dominico abſentem eſſet ſeruitiorum ſolemnijs, quòd clerici ad matutinum & veſpertinum officia venire teneantur, quòd non liceat Clericis ante tertiam horam prandere, quòd nullus ſacerdotum à quinquageſima vſque ad Paſca carnes comedat, quòd ſacerdotes aduentum ieiunent: & ſic de multis alijs ſimilibus, de quibus videretur expediens declarare, quod non eſſent præcepta, ſed conſilia. Et ſimiliter de obſeruantia ieiunij quadrageſimalis quantum ad quaſdam perſonas, & quo ad quaſdam circumſtantias eſſet moderatio adhibenda. Item quia Prælatis de diuino cultu ſpecialis cura eſſe debet, circa huiuſmodi reformationem quæ neceſſaria eſt, prouidendum eſſet, quod in diuino ſeruitio non tam oneroſa prolixitas, quàm deuota & integra breuitas ſeruaretur, quod in Eccleſijs non tam magna imaginum & picturarū varietas multiplicaretur, quòd nō tot noua feſta ſolemnizarentur, quòd non tot nouæ Eccleſiæ ædificarentur, quod non tot noui ſancti canonizarentur,

tur, quod præterquam diebus Dominicis, & in maioribus feſtis ab Eccleſia inſtitutis liceret operari poſt auditum officium, cùm quia in feſtis ſæpe magis multiplicantur peccata, in tabernis, in choræis, & alijs laſciuijs, quas docet otioſitas: tum quia dies operabiles vix ſufficiunt pauperibus ad vitæ neceſſaria procuranda. Quod in huiuſmodi feſtis ſcripturæ Apocriphæ, aut hymni noui, vel orationes, ſeu aliæ voluntariæ nouitates non legerentur omiſſis antiquis & authenticis, & iam in Eccleſia conſuetis. Et quod generaliter omnis nouitas & varietas, ac vſuum diuerſitas in horis ac alijs diuinis ſeruitijs (quantum fieri poſſet) vitaretur, iuxta decretum Toletani Concilij 11. de quo 12. diſtinct. cap. de his: & multa alia vtilia eſſent per Prælatorum diligentiam prouidenda, quæ per ſingula diſcutere longum eſſet.

De reformatione Religionum & religioſorũ.

QVarta conſideratio erit de his, quæ reformanda eſſent cerca ſtatum religio-

ligioſorum. Et primo videtur quod tanta religioſorum numeroſitas & varietas non expediat, quæ inducit ad varietatem morum, & quandoque ad contrarietatem & repugnantiam obſeruationum, & ſæpè ad ſingularitatem, & ad ſuperbiam & vanam extollentiam vnius ſtatus ſuper aliū. Et maximè videtur neceſſarium, quod diminuerentur religiones ordinum mendicantium, quia tot ſunt, & in numero conuentuum, & in numero ſuppoſitorū, vt eorum ſtatus ſit oneroſus hominibus, damnoſus leproſorijs & hoſpitalibus, ac alijs verè pauperibus, & miſerabilibus indigentibus, quibus conuenit ius & verus titulus mendicandi, ipſis quoque curatis parochialibus: & ſi bene conſideretur etiam præiudicialis omnibus Eccleſiæ ſtatibus, & ſpecialiter huiuſmodi religioſis intolerabilis, vt eorum profeſſioni contrarius, & maximè in multiplicatione magiſtrorum bullatorum & ſæpè indignorum, ipſis religionibus oneroſorum. De qua materia, & eorum varijs exceſſibus, pauca loquor, quia ſunt plures doctores,

ctores, qui de hoc abundè scripserunt. Item prouidendum esset super correctione Quæstuariorum prædicantium, siue religiosorum, siue secularium, quoniam suis mendacijs & immunditijs maculant Ecclesiam, & eam ridiculam reddunt, & officium prædicationis maximè honorandum iam contemptibile efficiunt. Vnde prædicatio quæ propter sui reuerentiam ad Prælatos pertinet, non esset tot & talibus vilibus Quęstuarijs & mendicantibus permittenda. Item cùm in Calcedonensi Concilio statutum sit, vt habetur 16.quæ.1. Qui vere. Quod monachi tantummodo intenti sint ieiunijs & orationi in locis vbi renunciauęrunt seculo remanentes, nec ecclesiasticis nec secularibus negotijs propria monasteria deserendo insistant, prouidendum esset quod nec etiam occasione studij claustra relinquerent, vel saltem moderandum quod solum ratione studij Theologiæ, cùm nimis multi seculares hodie studeant in litium facultate, ipsâ quoque Theologia in statu secularium paucos habeat

secta-

sectatores propter abusum Romanę Curiæ, quæ Theologos contempsit, & in omni Ecclesiastico gradu lucratiuarum scientiarum studiosos præposuit, cum tamen Primitiui Theologi Ecclesiam ædificauerint, quam aliqui barritatores destruxerunt, & nunc eam quasi ad extremam ruinam deducere videntur, adeo vt iam horrendum quorundam prouerbiũ sit: ad hunc statum venisse Ecclesiam, vt non sit digna regi, nisi per reprobos. Itẽ nunc maximè opus esset ad obuiandum insultibus iufidelium, quòd reformarentur religiones militares, & ad seruandam fidem, mores & patrum regulas, & ad priores institutiones cogerentur. Item circa Claustra Monialiũ, quæ iam (proh dolor!) vltra quàm dicere audiam, dehonestatæ sunt, esset correctio adhibenda. Et inter alias prouisiones hoc videretur expediens, quod nulla religio mulierum sustineretur, nisi tales haberent redditus vnde possent sufficiẽter sustentari in suis domibus reclusæ sine mendicitate & discursu, & quòd de eorum Ecclesijs seu

quorum-

quorumcunque aliorũ religiosorũ Monasterijs, vel Prioratibus, vel domibus, vel spiritualiter in moribus destructis, vel in rebus temporaliter desolatis fieret applicatio ad alia claustra, in quibus religio seruaretur, vt per talem religiosarum domorum vnionem superflua numerositas religionum restringeretur, & residua paucitas bonorum & deuotorum commodiùs sustentaretur. Item in Monasterijs esset inuiolabiliter obseruandum, quòd nullus nisi infirmus, aut debilis, aut hospes comederet extra refectoriũ; quia experientia docet, quod vbi hoc seruaretur aliæ religionis obseruantiæ tenerentur faciliùs. Item pro seruandis conscientijs deuotorum religiosorum, summo opere cauendum est eis, ne à Principibus aut alijs reditus suos, aut alia ad ipsorum sustentationem pertinentia procurent ex iniustis exactionibus, aut quomodolibet illicitè acquisitis. Ne etiam iura prælatorum, Ecclesiarum & sacerdotum parrochialium indebitè occupent, siue in decimis siue in alijs prouentibus ecclesia-

sticis, ne etiam in præiudiciũ Ordinariorum ab eorum subiectione iuri diuino consonâ, & in Calcedonensi Concilio sanctorum Patrum decreto firmatâ, vt patet 16. *quæst.* 1. *Cap.* Qui verè, per oportunam humanorum priuilegiorum impetrationem & violentam exemptionem damnabiliter se subducant. Nam secundum aliquos, non est mediocriter dubitandum, an tales sint in statu saluandorum, vt patet ex deductione Cantoris Parrisiensis, in verbo abbreuiato capitulo 37.

Item in quibusdam religionibus deuotis, quæ regulæ beati *Benedicti* rigorẽ superaddunt in prolixitate vigiliarum & orationum, & austeritate ieiuniorum & abstinentiarum, & alijs varijs obseruantijs afflictiuis, videretur prouidendum de indiscreta moderatione, & maximè circa infirmos, vt, saluâ Christi lege, nihil eis quod discreti Medici consuluerint negetur, siue in esu carnium, siue in aliis quibuscunq; commoditatibus humanæ fragilitati, & naturali indigentiæ oportunis.

nis. Alioquin non dixisset Christus, non est opus sanis medico, si non concessisset opus esse infirmis Medicorum consilio.

De reformatione cæterorum Ecclesiasticorum.

QVinta consideratio erit de his, quæ reformanda sunt circa statum inferiorum Ecclesiarum, & ecclesiasticorum virorum. Et primò generaliter est prouidendum, quòd in ecclesiasticis beneficiis iuxta eorum eminentias ponantur personæ benemeritæ, & non præferantur fatui & ignari scientificis & sapientibus, nec iuuenes senibus, nec illis de vna patria quorum vita & conuersatio nota est, & probata, aliqui extranei & alieni in moribus, linguis, & consuetudinibus, nec potentes aut nobiles pueri clericis probatis & famosis doctrinâ atque moribus, nec aduocati aut intenti scientijs lucratiuis, vel curiales, aut Dominorum temporalium seruitores, sacræ Scripturę doctoribus, sicut à multis iam retroactis

temporibus Romana Curia facere consueuit. Et ideò erit expediens, quòd ordinarij, qui in suis locis habere possunt & debent benè meritarum notitiam personarum, iuxta earum merita, beneficia conferant, vel saltem quod eorum collatio non omninò tollatur, ita tamen quod vt obuietur eorum abusibus, potestas ordinaria limitetur, vt verbi gratia. Quòd non possint dignitates & beneficia maiora conferre, nisi Doctoribus in Theologia, vel in iure, quandocunque in suis vel propinquis diocœsibus erunt aliqui huiusmodi: quòd non possint etiam nisi graduatis vel nobilibus, vel aliâs benemeritis conferre curas, personatus vel alia beneficia valoris centum librarum vel vltrà in portatis. Et ita de multis similibus prouisionibus, per quas & digni promouerentur, & multi nobiles & alii ingenioſi ad studium literarum prouocarentur, & Vniuersitates studiorum florerent, & (quod valdè optandum est) importunæ & violentæ preces Dominorũ temporalium pro indignis cessarent, quę hodiè

hodiè quàm periculosè fiant, docet experientia. Hæc autem quæ de Graduatis dicta ſunt, per modum exempli ponuntur, quæ etiam moderari poſſunt, & alia addi ad prouiſionem aliorum ſufficientium, licèt non graduatorum. Item prouidendum eſſet, quòd Vniuerſitates ſtudiorum reformarentur, & per prælatos ſcientificos viſitarentur, vt gradus diſtribuerentur dignis ſine fauore aut acceptatione perſonarum & cum rigore examinis in ſcientia & moribus, & doctrinæ vtiles reſecatis ſuperfluis, aut minùs vtilibus legerentur: vt inſtructores Rhetoricæ & linguarum Græcę & Latinę quarum ignorantia multipliciter damnoſa eſt, haberentur. Et vt aliis ſtudioſis actibus Reipublicę tam ſpirituali quàm temporali vtilibus iuuenum ingenia exercérentur.

Item adhibenda eſſet correctio circa mores eccleſiaſticorum, qui iam nimis (proh dolor) ſunt corrupti irâ, gulâ, luxuriâ, pompâ, prodigalitate, otio, & aliis generibus, quod cedit in graue laicorum

ſcandalum. Et maximè obuiandum eſſet illi ſcandaloſiſſimæ conſuetudini ſeu potiùs corruptelæ, quâ plures hodiè non verentur tenere, etiam publicè concubinas. Et quia aduerſus eos pœnæ iuris, ſuſpenſionis, excommunicationis, irregularitatis non proficiunt, contra tales in hac vel alijs inhoneſtatibus publicis incorrigibiles, haberet locum pœna depoſitionis ab officio vel beneficio. Item quia Archidiaconi ab Eccleſia inſtituti ſunt vt ſeruiant Epiſcopis, vt habetur originaliter Actuum ſexto, & ſpecialiùs declarantur eorum officia, decima tertia *diſtinct. Quaſi per totum.* Ideò prouidendum erit, vt debita officia exerceant, vel cùm ſint Eccleſiæ oneroſi, penitùs extirpentur, ſicut ſuprà de Corepiſcopis dictum eſt. Item quia dicit *Hieronimus*: Pauci ſacerdotes, multi ſacerdotes; pauci merito, multi numero. Ideò contra hanc ſcandaloſam multitudinem eſſet ſummo opere obuiandum, per hoc quod non promouerentur, niſi digni & benè morigerati, habentes ſcientiam ligandi & ſoluendi,

uendi, & intelligentiam diuini ſeruitij. Item ad obuiandum ignorantiæ ſacerdotum iam promotorum in Eccleſijs Cathedralibus & notabilibus Collegiatis, eſſent ſcribendi aliqui breues tractatus, & etiam in ſynodis publicandi tam in Latino quàm in vulgari ſuper inſtructione neceſſaria de virtutibus & vitijs, de articulis fidei, de Sacramentis, de modo Confeſſionis, & huiuſmodi. Similiter in huiuſmodi Eccleſijs deberet eſſe aliquis Lector Theologiæ, qui legeret ſecundū & tertium, & quartum ſententiarum, vel recipiendo vtiliores materias dictorum librorum eas ſub breuitate applicaret ad expoſitionem & intelligentiam Epiſtolarum & Euangeliorum, quæ in Eccleſia per anni circulum recitantur. Similiter in dictis Eccleſijs, & maximè in Metropolitanis deberent eſſe notabiles librariæ Theologicæ, & iuris Canonici, ac librorum moralium, & maximè quod magnus liber Conciliorum generalium, qui modò rarus eſt, licèt ſit perutilis & neceſſarius à Metropolitanis in magnis Ec-

cleſijs reponeretur.

Item, quia correctio ſubiectorum ſæpè per eorum appellationes impeditur, & datur peccandi audacia, etiam circa eas adhibenda moderatio eſt, ne in earum nimis facili receptione & admiſſione inferiores Prælati à Metropolitanis vel Romana Curia inordinariâ executione iuſtitiæ grauarentur, ſicut iamdudum beatus *Bernardus* conquerebatur in libro de Conſideratione ad *Eugenium* Papam. Qui liber in hoc & alijs multis pro reformatione Eccleſiæ, non mediocriter vtilis eſt, & plures eius libri & Epiſtolæ.

De reformatione Laicorum & Principum.

SExta & vltima conſideratio erit de reformandis circa ſtatum Laicorum Chriſtianorum, & maximè Principum, à quorum moribus dependet morigeratio populorum: quia vt dicit Poeta:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Et

Et iterum:

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Et ideò prouideant Principes Christiani, vt titulum suæ Christianitatis quem verbo confitentur, opere non negent contra Christi doctrinam, & per vias ei contrarias in conspectu sui populi corruptis moribus incedentes, suis malis exemplis mores subditorum corrumpant. Item quòd liberos suos in bonis operibus ac moribus, & in literarum scientijs informari faciant. Item vt non solùm à se, sed à suis familiaribus & domesticis, superfluam & superbam vanitatem, auaritiam, & tyrannidem abjiciant. Item quòd populum ipsis subiectum bonis moribus ædificare studeant, eos à luxuria, auaritiâ, otio, & à cunctis vitijs reipublicæ contrarijs retrahant, & specialiter à Dei & Sanctorum blasphemia, quæ sæpè in iuramentis & periurijs committitur, arceant. Item quòd malas consuetudines iure diuino & humano contrarias in

suis

ſuis ſubiectis per conſilium Theologorum & aliorum prudentum repellant. Item quod artes magicas & alias ſuperſtitiones diuinâ lege damnatas, & omnes errores & hæreſes fidei contrarias diligentiùs euellant & deſtruant. Item quod ad fidei exaltationem, diuini cultus honorem, Eccleſiæ reformationem, inuigilent ad ea quæ ſupra & infra pro huiuſmodi reformatione notata ſunt, & alia quæcunque vtilia diligenter laborent. Item quod zelo iuſtitiæ contra perſecutores & oppreſſores Eccleſiæ, pauperum, & debilium excandeſcant, & eorum iniurias propulſare non tardent. Vicinis quoque & peregrinis fidem Catholicæ fraternitatis obſeruent. Item contra Saracænos & alios fidei aduerſarios potenter inſurgant, & nunc dum maximè opus eſt poſt purgatam & reformatam Eccleſiam, Infidelium inſultibus viriliter ſe opponant, ac propter hoc guerras & bella quæ iam (proh dolor) & in imperio, & in regnis Chriſtianis in contumeliam Chriſtiani nominis crudeliter ſæuiunt, miſe-

ricor-

nicorditer compescant, & ad Christianam pacem & vnionem reducant. Alioqui infallibiter verificabitur verbum Christi, *Omne regnum in se diuisum desolabitur*. Item quod Iudæis propter vilem quæstum turpiter non faueant, eos videlicet inter subiectos suos morari permittendo, nisi vel Christianis seruiendo, agros colendo, vel aliàs mechanicè laborando, & non vsuras damnabiles in damnum Christianorum exercendo. Item quod Iudæorum conuersorum bona non rapiant, sed ad vitæ necessitatem eis possidere permittant, ne egestate compulsi apostatent, & Christianos impietatis arguant. Item multa alia essent per principes cum generali Concilio Ecclesiæ contra statũ Christiani populi reformanda, quæ si impediant, imo si ea diligenter non promoueant, timendum est eis ne contra ipsos manus Domini (prout iam incepit) gladium sui furoris exerceat. Item propter præmissa expedit quod Reges & Principes

cipes mittantur ad generalia Concilia, non ad onerandum & confundendum, ſed ad honorandum & confortandum Eccleſiam, & ad ea quæ ibi decreta fuerint (quantum in eis eſt) exequendum. Item quia iuxta Euangelicam ſententiam, quam etiam experientia rerum magiſtra docet, Inter Reges Gentium & Principes ſeculi ſæpè fit contentio, quis eorum videatur eſſe maior, quam contentionem Chriſtus inter Diſcipulos ſuos vitari docuit: ideo non videtur expediens quòd de cætero in generalibus Concilijs pro deliberando ad partem ſuper rebus gerendis fiat diuiſio per nationes vel regna, quia talis modus diuidendi magis eſt ſecularis quàm Eccleſiaſticus, & ad contentiones de maioritate vel ſuperioritate diſpoſitiuus. Sed iuxta Eccleſiaſticas ſanctiones & ſanctorum patrum obſeruantias, magis videtur eſſe procedendum per prouincias Eccleſiaſtico more diſtinctas. Tamen quia huiuſmodi prouinciæ valdè ine-

inęqualiter ſunt diuiſæ in diuerſis mundi regionibus, ideo expediens videretur hanc moderationem obſeruari, quòd ad conſtituendam prouinciam in Concilio generali non ſufficeret minor numerus quàm duodecim nobilium perſonarum, quarum ſex ad minus eſſent, Prælati vel ambaſiatores regum, Principum vel Vniverſitatum generalium ſtudiorum, aut Doctores in Theologia vel in Iure, vel illorum ſex ad minus duo eſſent Epiſcopi, non titulares aut gyrouagi, alij vero ſex ſint in minoribus dignitatibus, Eccleſiaſticis conſtituti, vel in aliqua facultate graduati. Quando vero in aliqua prouincia non eſſet talis numerus, aut talium perſonarum quod ſuppleretur de alijs vicinis prouincijs, & conſtitueretur vna ex pluribus, quæ denominaretur ab illa, cuius ibi eſſent plura aut notabiliora ſuppoſita. Et quod huiuſmodi perſonarum electio fieret in Concilijs prouincialibus, generale Concilium præcedentibus. Et ibidem ordinaretur de ſtipendijs, expenſis,

sis, & sumptibus eorundem per modum subsidij charitatiui Ecclesiastico more, & non seculari authoritate vel potestate imponendi & exequendi. Item, quia Ecclesia non potest Principes ad prædicta reformanda temporaliter cogere, expediens erit quod per generale Concilium ipsos ad ea monitis salutaribus exhortetur, vt sic faciendo quod in se est, apud summum iudicem excusetur. Nec solum opus erit exhortatorijs verbis, sed etiam bonorum morum, & in melius reformatorum actuum exemplis, quia plus mouent exempla quàm verba, ideo Iesus cœpit facere & docere. Vnde nihil est, quod tam efficaciter possit, siue ad bonũ, siue ad malam Principes & alios Laicos inducere, sicut facta exemplaria Ecclesiasticorum. Ideo super illud Mat. 21. *Et intrauit Iesus in Templum, &c.* Dicit Chrysostomus, *Sicut de Templo omne bonum egreditur, ita de Templo omne malum procedit.* Si enim sacerdotium integrum fuerit, tóta Ecclesia floret. Si autem corruptum

tum fuerit, omnium fides & virtus marcida eſt. Sicut cùm vides arborem pallentibus follijs, intelligas quod vitium habet in radice: ſic cùm videris populum indiſciplinatum, ſine dubio cognoſce quod ſacerdotium non eſt ſanum. Et inde patet quòd neceſſaria ſit Eccleſiaſticorum reformatio, cùm morum ſuorum deformatio tam periculoſa ſit, & cunctis fidelibus populis tam damnoſa. Auertat autem miſericors Dominus ab Eccleſia ſua hãc contumeliam, vt omnes Prælati, ſacerdotes, aut alij Eccleſiaſtici, huius lamentabilis deformationis reperiantur inculpabiles. Sed ſicut olim ipſe ſibi in Iſrael ſeptem milia virorum reſeruauit, quorum genua non ſunt curuata ante Baal, ſicut legitur tertij Reg. 19. cap. Sic hodie in omni ſtatu Eccleſiæ aliquos reſeruaſſe credendus eſt, qui zelo Chriſtianæ legis accenſi, deformatos mores in melius reformabunt, & ſuis ſalutaribus verbis & exemplis alios informabunt. Quod ipſe præſtare dignetur, qui

qui Ecclesiam suam pretioso filij sui sanguine redimere dignatus est.

Libelli de reformatione Ecclesiæ, quem Dominus Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis, Patribus in Concilio Constantiensi congregatis obtulit, Anno 1415. ipso die Calendarum Nouembris,

Finis.

Ex

Ex Iohanni Gerſone, qui fuit Cancellarius Academiæ Pariſienſis, & Regis Galliæ ad Concilium Conſtantienſe Legatus.

QVòd ſi *Moyſes* loquens Deo familiariter, ſicut amicus ad amicum, obedienter audiuit conſilium Gentilis hominis in regimine totius Synagogæ, quanto magis debet hoc ſummus Pontifex ad dictamẽ totius Eccleſiæ, vel generalis Concilij ſuo nomine? Rurſus, ſi iudicia minora reprobantur in *Moyſe*, videamus in ſummo Pontifice & Curiâ ſuâ, quid de tot profaniſſimis & indigniſſimis cauſarum & litigiorum cõtinuis & anxijs occupationibus? quid de beneficiorum quorumcunque etiam minorum collationibus & ſignationibus manu Papæ? quid de Annalium exactionibus? quid de innumeris ſimilibus dicendum iudicabitur, relictâ omni curâ, ſollicitudine vel ſtudio de omni eo quod ſpirituale eſt, quod denique fidem

To. 1. de poteſtate eccleſiaſtica. conſid. 8.

concernit ad religionem Christianam.

Ibid paulò supra. Verùm potestatem hanc ecclesiasticã quæ respicit institutionem Ministrorum Ecclesiæ à summo vsque deorsum confundit magnâ caligine cupiditas ambitiosa, quærens quæ sua sunt, & quæ crescentibus beneficiorum dotationibus impudenter excreuit, ita vt vix discerni modò possit, quid ex *Primaria institutione Christi*, vel inuariabili iure diuino tenendum sit in huiusmodi Ministrorum ordinatione.

Ibid. consid. 10. Nequaquam licitum fuit Papæ tales cassare regulas, præsertim ita generaliter & passim per reseruationes & aliter, sicut visum est à centum annis vel vltrà. Non licuit præterea facere tot & tales non obstantias eorum quæ constituta sunt in generalibus Concilijs, quot & qualibus non obstantijs vti solet passim in Bullis suis. Adeò quidem vt *Alexander Quintus* inductus sit in prætensis quibusdam bullis ponere: Non obstantiam huius saluberrimi ac celebriter obseruati statuti, Omnis vtriusque sexus.

Ac

Ac proinde diſciplina regularis viget apud eos, quæ quantum ſit collapſa apud religiones quaſdam alias paſſim diſpenſationibus vtentes, videre ſtupor & dolor eſt. Super qua re iam *Bernardi* pro tempore ſuo querela naſcebatur? Quid modò dicendum putabimus de tam facili (vt appellant) diſpenſatione per Papam & Prælatos ſuper iuramentis licitis, ſuper votis rationalibus, ſuper immenſa beneficiorũ pluralitate, ſuper generali Cõciliorum Non obſtantia, ſuper priuilegiorum & exemptionum commune ius priuantium conceſſione? Quis omnia dinumeraret per quæ nunc vigor eccleſiaſticæ, immò & Euangelicæ diſciplinæ totus verè languit, emarruit, euannuit? Ibid.

Concernit hoc collationem beneficiorum, multiplicitatem exemptionum odioſiſſimam plenam erroris & confuſionis in eccleſiaſtica Hierarchia, & ita de reliquis. Reſeruationem præterea à tot caſuum, tot excommunicationum in foro conferentiũ, euocationem tam facilem omnium cauſarum ab ordinariis, ſint Ibid. conſid. 13.

cauſæ illę profanæ, ſint ſacræ fidei. Quales fidei cauſas omnes ab ordinarijs ſingulis prę ſertim in doctrinis notoriè ſcandalizantibus Dyocœſes ſuas, & vbi vigent ſtudia literarum velle prohibere, quid aliud eſt, quàm ianuam grandem erroribus aperire?

Idem Serm. de ſignis ruinæ Eccleſię

Quædam Gloſſa dicit, quòd erit diſceſſio aliarum Eccleſiarum ab ipſa Romana Eccleſia.

Ibid.

Tertium ſignum ſumitur ex perſonarum diſpoſitione: & eſt immoderata inæqualitas, quâ alius & ſæpè dignior eſurit; alius & frequenter indignior præ multitudine & magnitudine beneficiorum eſt ebrius. Ibid. ſtatim: Sed non puto quòd vnquam fuerit aliquarum gentium politia, in qua eſſet tanta Sacerdotum differentia, vt hi quidem eſſent maiores Principibus huius ſeculi, licèt indoctiores: alij eiuſdem gradus & ordinis, licèt doctiores & ſapientiores, deiectiores vulgo.

Eadem verba habentur apud Theod. de Niem. Nemor. vnio. trac 3 p. 223

Ibid Sign. 8.

Prælatio puerorum ac ignorantium, ac prauorum, & hæc erit deſtructio Latinorum.

tinorum.

Primò vbi eſt, quòd Epiſcopus bonus & probatus opere & doctrinâ eligatur, non puer, non carnalis, ſpiritualium ignarus. Quòd Epiſcopi & ſacerdotes ſpectaculis & ludis non interſint, nec delectentur. Quòd ſacerdotes nihil fœneris, aut ruſtici miniſterij exerceant, nec mercatores, venatores, aut negotiatores fiant. Quòd Scripturis diuinis ſtudeant Epiſcopi & Sacerdotes, maximè Monachi & religioſi, ſcientijs litigioſis & practicis omiſſis. Idem in declaratione defectuum virorum eccleſiaſticorum.

Iterum, ad quid expedit, aut quid vtilitatis Eccleſiæ confert tam magnifica Principum gloria, & tam ſuperflua Prælatorum & Cardinalium pompa, vt quaſi ſe homines eſſe neſcire faciant? Et quæ vtiq́ue abominatio, quòd vnus tenet ducenta, alter tricenta beneficia eccleſiaſtica? Nonne inde cultus diuinus diminuitur, Eccleſiæ depauperantur, valentibus viris & doctoribus priuantur, fidelibus mala exempla dantur? Ibid.

Quid quòd hodiè vnus, vtinam me- Ibid.

diocriter doctus, tenet quatuor, quinque vel sex, vel octo beneficia, quorum vno non est dignus, quibus octo sustentari possent, doctrinis, orationibus, & diuinis laudibus insistentes. Attendite an potiùs hodiè equi, canes, aues, & superflua ecclesiasticorum familia patrimonium Ecclesiæ comedere debeant, quàm pauperes Christi?

59 Quid etiam sibi vult, quòd quarundã
Ibid. eccleſiaſticarum Cathedralium Canonici calceis roſtrati, veſtibus accurtati, abiecto habitu clericali, & aſſumpto militari in armis & haſtiludijs ſe exercent. Epiſcopiq́ue cappa, ſuperpelliceo, libroq́ue depoſitis, arma ſumunt, in campis armati pugnant, vt Principes ſeculares?

61 Quid eſt quòd hodiè Epiſcopi, Ab-
Ibid. bates, Monachi, ſunt plùs officiales fiſci quàm Chriſti, totis niſibus militantes mundo, in Curijs Principum & ſecularium iudiciorum ſeu Parlamentorum.

62 Ecce quid ſibi vult etiam, quòd modò
Ibid. potiùs omnes Epiſcopi, Prælati, & parochiales Sacerdotes per Papam conſtituuntur,

untur quàm eligantur perſonæ notæ & aptiores de patria, vt non præferantur Eccleſijs homines extranei in moribus, linguis, & conſuetudinibus.

Quid eſt quòd hodiè potentum & nobilium pueri eccleſiaſticis dignitatibus præferuntur, & Clerici famoſi in vita & doctrina eis ſubijciuntur. 63

Rurſus oculos aperite, & inquirite, ſi quæ hodiè clauſtra Monialium facta ſunt, quaſi proſtibula meretricum. Si quæ conſecrata Canonicorum monaſteria fiant quaſi fora & diuerſoria. Si quæ Cathedrales Eccleſiæ factę ſunt ſpeluncæ raptorum & latronum. 65 Ibid.

Scrutemini ſi alicubi Sacerdotes in conſuetudinem duxerunt ſub prætextu ancillarum habere concubinas. 66 Ibid.

Iudicate, ſi tanta imaginum & picturarum in Eccleſijs varietas expediat: & an plures ſimplices nonnunquam ad Idolatriam peruertant? 67

Videte ſi tanta religionum numeroſitas & varietas conueniat? 68

Rurſum penſate, ſi æquum eſt fatuos præeſſe 74 Ibid.

præesse, & sapientes subesse: iuuenes dominari, senes famulari: ignaros ardua discutere, scientes loqui non audiri: equorum famulos in promotionibus præponi, eloquiorum Dei discipulos postponi.

75 Perquirite, si quæ Scripturæ Apocriphæ, aut hymni, aut orationes successu temporis studio vel ignorantiâ in detrimentum fidei introductæ sint.

Idem tom. 1 de concil. general. vnius obedientiæ. v. Q.

Hæc idcircò dixi, quoniam fortè aliquibus videretur quòd sit expediens Ecclesiæ vniuersali redire omnia ad pristinũ statum Ecclesiæ, seu illius quæ fuit tempore Apostolorum quantum fieri congruè posset, abiectis talibus iurisdictionibus pro magna parte quę reddiderunt Ecclesiam *totam brutalem & carnalem, & nihil ferè sapientem* de his quæ Dei sunt erga salutem animarum, non ex se quidẽ, sed abutentium vitio. Vel redeundum esse ad statum Ecclesię tempore *Syluestri* & *Gregorij*, quando quilibet prælatus dimittebatur in sua iurisdictione & sollicitudinis parte, & Papa tenebat quæ sua erant

erant abſque tot reſeruationibus, vt & continuis, magniſque exactionibus pro ſuſtinendo ſtatum curiæ & capitis nimis fortè creſcentem ſuos cæteros membrorum ſtatus.

Status inſuper Eccleſiæ nonne factus eſt totus quaſi brutalis & monſtruoſus? vbi cœlum deorſum, hoc eſt ſcilicet id quod ſpirituale eſt, & terra ſurſum, ſpiritus ſeruiens & caro dominans. Principale acceſſorium, & acceſſorium principale, vſque ad hoc, vt quidam delirare non dubitent, quòd per inuentiones humanas etiam meliùs quàm per legem diuinam Euangelicam regeretur, quaſi minus ſit anima quàm corpus: & ſpiritualis quàm carnalis fructus. Hæc aſſertio per meam fidem blaſphema eſt, nedum falſa Euangelica quippe doctrina per ſuos profeſſores dilatauit Eccleſiam vſque in cœlum, quam filij Agar exquirentes ſapientiam quæ de terra eſt, detruſerunt vſque in cœnum.

Idem Serm. in die Circũciſionis Domini, coram Papa apud Taraſconam 6.D.

Videas ferè omnes ſummis importunitatibus in leges irruere, dum nunc gratiam

Idem tom. 2. ſerm. coram Alexand. Papa in die Circenſionis.

tiam obtinendorum ſimilium incompatibilium, nunc in abſentia poſſe fructus colligere, nunc ante omnes magnas dignitates aſſequi, nunc ad ſacros ordines non compelli, & mille alia rectis legibus vetita. Vbi non eſt intolerandum magnos Prælatos commiſſos ſibi greges lupis exponere, & quotidie ad denariorum regiorum ſupputationes ſedere, non veritos præceptum Apoſtolicum tranſgredi. Nemo militans Deo implicet ſe negotijs ſecularibus: eo ſenſu quo per ſacroſanctum Conciliũ olim expoſitum fuit. Quid de illis loquor, qui de more patriæ pro mitris vtuntur galeis, pro veſte lineâ veſtiuntur ferreâ, arma ferunt, bella gerunt, fundunt ſanguinem, Præſules negant, duces exhibent, ſpiritum neſciunt, carnem fouent, quaſi arma militiæ noſtræ eſſent carnalia, & non potentia Deo? &c.

Ibid. paulo poſt. Quid turpius quàm videre doctos, aut bene moratos, aut extra ordines iacere, aut in imis collocatos, ignaros autem & improbos altiſſimum gradum tenere:

tenere: videre alios esurire, alios ebrios esse? Quòd si ad institutionem sacerdotum atque prouisionem venire delectet, doleo seminaria seri litium, vbi lites sequi nefas est. Vix aliquod beneficium infra prælaturas confertur quin ipsum vni summus Pontifex, alteri verò legatus aliquis, item ordinarius alteri conferat. Quid est hoc aliud quàm litium materiam exhibere? Nec illud minùs absonum quòd magis fauoribus humanis, aut gratia, aut metu, aut cupiditate, aut consanguinitate, aut affinitate, aut aliquo impetu animi quàm iudicio aut delectu præuisiones istæ fiunt.

O indignum facinus! ô sceleratissimam proditionem! milites mei & ijdem filij quos ad honores maximos opesque sublimaui, proiectis armis sponsi mei, Loricâ iustitiæ, scuto fidei, galeâ salutis, & gladio spiritus, ad hostem capitalem transfugerunt, pactoque turpissimè pacis fœdere armaturam illius induerunt, Loricam iniustitiæ, scutum prudentiæ carnalis, galeam amoris mundani, gladium carnis, quod Ibidem.

quod est verbum mendax diaboli, vnde pugnant contra me, & in materna viscera vires conuertunt, &c.

Ibid. paulo post. Annon ergo sunt prudentes congerendis opibus, instruendis dapibus, cumulandis honoribus, pompis fouendis: & negligentes regendis plebibus, alendis pauperibus, diligendis humilibus, & superfluitatibus coercendis? Annon potius de beneficijs disceptant per leges Iustiniani, quàm populum erudiant & docent legem Christi? Doceant dico? imo discant. Nam quem è sacerdotum numero mihi dabis non ignarum legis Christi? Annon augmentis plus inhiant facultatum quàm Lucris animarum? Quis autē hæc à carnis prudentia proficiscí negauerit?

Ibidem. Nec sine lachymis inspicere poteram alium concubinatu pollui, cui tamen vt puritatem angelicam æmuletur, connubium est interdictum. Luxum etiam non clam, sed in propatulo habere, fœdis fafactis fœda verba coniungere, dapibus implere ventrem, inebriari vino, doctum

&

& ad calicem vigilanti ſtertere naſo, & mille alijs propè conſpectis fluebant mihi lachymæ, nec fluere deſinent niſi malas iſtas radices peiorum germinum matres ſucciſas agnouero.

Inuenies apud eos qui nomen ſibi religionis appropriarunt, plus puniri tranſgreſſiones humanæ conſtitutionis ſatis friuolæ ſuper delatione veſtis huius vel illius, ſuper vſu cibi talis aut talis: quàm ſi blaſphemando quis Deum negauerit, deierauerit, violauerit Sabbata eius, & vniuerſa decalogi præcepta. Faciunt & nunc (ô ſalutifer Chriſte) domum tuam ſtabulum porcorum grunnientium, vel canum latrantium, vel ridicularum ſimiarum. Idem de nouitijs Chriſti & Eccleſiæ. Conſider. 1. Ib. conſid. 3.

Arguunt iterum & nos in ſimilem cauſam trahere ſatagũt. Nonne inquiũt talia ſimiliter fiunt aut tolerantur ab Eccleſia in peregrinationibus certis, in cultu imaginũ, in cereis, aut ceris, aut aquis benedictis, & in exorciſmis. Nonne dicitur quotidie, ſi nouem diebus perdurat in hac Eccleſia, Si ex aqua illa perfundatur, Idem de erroribus circa artẽ magicã

aut

aut si tali se voueat imagini, aut si aliquid talium faciat, ipse mox sanabitur, vel optato potietur. Fateor abnegare non possumus, multa inter Christianos simplices sub specie religionis introducta esse, quorum sanctior esset omissio, tolerantur tamen quia nequeunt funditus erui.

Ex Bernardo quædam.

In Cantica serm. 10. QVanti hodie secus affectos esse ostendunt, de his dico qui animas regere susceperunt? Quod enim sine miserabili gemitu dicendum non est, Christi opprobria, sputa, flagella, clauos, lanceam, crucem & mortem: hæc omnia in fornace auaritiæ conflant, & profligant in acquisitionem turpis quæstus, & pretium vniuersitatis suis marsupijs includere festinant. Hoc solo à Iuda Iscariote differentes, quòd ille horum omne emolumentum denariorum numero compensauit, isti voraciore ingluuie lucrorũ infinitas exigunt pecunias. His insatiabili desiderio inhiant, pro his ne amittant timent,

timent, & cum amittunt dolent, harum in amore quiescunt quantum duntaxat liberum eis est a seruandi vel augmentandi cura. Animarum nec reputatur casus nec salus. Non sunt profectò matres, qui cùm sint de crucifixi patrimonio nimiùm incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione Ioseph. Quæ mater est nõ dissimulat, habet vbera non vacua.

Væ generatoni huic à fermento Pharisęorũ quod est hypocrisis: si tamen hypocrisis dici debet, quæ iam latere præ abundantia non valet, & præ impudentia non quærit. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quò latiùs, eò desperatiùs, eoque periculosiùs quò interiùs. Nam si insurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras & exaresceret: si violentus inimicus abscondere se forsitan ab eo. Nunc verò quem ejiciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici: omnes necessarij, & omnes aduersarij: omnes domestici, & nulli pacifici: omnes proximi, & Idem ibid. serm. 33.

& omnes quæ ſua ſunt quærentes. Miniſtri Chriſti ſunt, & ſeruiunt Antichriſto. Honorati incedunt de bonis Domini, cui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus: inde aurum in frænis, in ſellis & calcaribus: & plus calcaria quàm altaria fulgent. Inde ſplendidæ menſæ & cibis & cyphis: inde commeſſationes & ebrietates: inde cythera, & lyra, & tibia: inde redundantia torcularia & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria: inde referta marſupia: pro huiuſmodi volunt eſſe, & ſunt Eccleſiarum præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Epiſcopi, Archiepiſcopi. Nec enim hæc merito cedunt, ſed negotio illi quod perambulat in tenebris, olim prędictum eſt, & nunc tempus impletionis aduenit. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Amara prius in nece martyrum: amarior poſt in conflictu hæreticorum: amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Non fugare, non fugere eos poteſt, ita in-

inualuerrunt & multiplicati sunt super numerum. *Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ:* & ideo in pace amaritudo eius amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & non est pax: pax à Paganis, pax ab hæreticis, sed non profectò à filijs. Vox plangentis in tempore isto, filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Spreuerunt & maculauerunt me à turpi vita, à turpi quæstu, à turpi commercio: à negotio denique perambulante in tenebris. Supereſt vt iam de medio fiat dæmonium meridianum ad seducendos, si qui in Christo residui sunt adhuc permanentes in simplicate sua.

Non sunt omnes amici sponsi, quos hodiè sponsæ hinc inde assistere cernis, & qui (vt vulgò aiunt) eam quasi addextrare videntur. Pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt quærunt ex omnibus charis eius. Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt Mammonæ. Idem ibid. serm. 77.

Vndè verò hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splen-

dorem, menſarum luxuriem, congeriem vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis ſponſæ. Inde eſt quòd illa pauper & inops, & nuda relinquitur facie miſerandâ, incultâ, hiſpidâ, exangui. Propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare: non eſt cuſtodire, ſed perdere: non eſt defendere, ſed exponere: non eſt inſtituere, ſed proſtituere: non eſt paſcere gregem, ſed mactare & deuorare.

Idem ibid. Quem dabis mihi de numero præpoſitorum, qui non plus inuigilet ſubditorum vacuandis marſupijs, quàm vitijs extirpandis? vbi qui orando flectat iram? qui prædicet animũ placabilẽ Domino?

Idem ibid. Propterea relinquamus iſtos non inuentores ſponſæ, ſed venditores, & inquiramus potiùs illos à quibus ſponſa ſe inuentam loquitur. Et quidam illorum ſortiti ſunt miniſterij locum, ſed non zelum: ſucceſſores omnes cupiunt eſſe, imitatores pauci. O vtinam tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad Cathedram! &c.

Parum

Parum est nostris vigilibus, quòd non seruant nos, nisi & perdant: alto quippe demersi obliuionis somno ad nullũ dominicæ comminationis tonitruum expergiscuntur, vt vel suum ipsorum periculum expauescant: inde est, vt non parcant suis, qui non parcunt sibi, perimentes pariter & pereuntes. Idem ibid.

Scholares pueri & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promouentur ad Ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferuntur ad principandũ Præsbyteris, lætiores interim quòd virgas euaserint, quàm meruerint principatum: nec tam illis blanditur adeptũ, quàm ademptum magisterium. Bernard. Epist. 42.

Et olim quidem eratis contra Apostolum *Petrum* dominantes in Clerum, immò & contra Coapostolum eius *Paulũ*, dominabamini fidei totius orbis. At nunc nouum aliquid addidistis, vsurpantes ampliùs & in ipsam religionem. Quid restat, nisi vt adijciatis & ipsis Angelis sanctis dominari? Idem Epist. 230. ad Episcopos Hostrensem Tusculanum Prænestinũ.

Nec vereor ne fortè præsumptionis Idem Epist. 235. ad totã Curiam Ro.

arguar: quippe qui licèt omnium minimus, tamen Romanæ Curiæ iniuriam à me non iudico alienam. Vrimur assiduè dicò vobis: vrimur grauiter nimis: ita vt nos tędeat etiam viuere. *In domo Dei videmus horrenda.* Et quia corrigere nos nõ possumus, saltem suggerimus his ad quos spectat.

Idem Epist. 237. ad Eugenium 3.

Quis mihi det antequam moriar, videre Ecclesiam Dei sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam, non in capturam argenti, vel auri, sed in capturam animarum? Quàm cupio illius te hæreditare vocem, cuius adeptus es sedem? Pecunia (inquit) tua tecum sit in perditionem.

Idem Epist. 249.

Quis dabit mihi homines literatos & sanctos in Ecclesijs Dei præesse pastores, si non in omnibus, certè in pluribus, certè in aliquibus saltem.

Idem Epist. 290. de Iordano Cardinali, Domino Hostiensi.

Pertransijt Legatus vester de gente in gentem, & de regno ad populum alterũ, fœda & horrenda vestigia apud nos vbique relinquens. A radice Alpium & regno Teutonicorum per omnes penè Ecclesias

clesias Franciæ & Normanniæ & circũquaque circuiens vsque Rothomagum, vir Apostolicus repleuit, *non Euangelio, sed sacrilegio, turpia fertur vbique commisisse, spolia Ecclesiarum asportasse*: formosulos pueros in ecclesiasticis honoribus vbi potuit promouisse, vbi non potuit voluisse. Multi se redimerunt ne veniret ad eos, ad quos peruenire non potuit, exegit & extorsit per nuntios. In scholis, in curijs, in triuijs fabulam seipsum fecit. Seculares, religiosi, omnes malè loquuntur de eo.

Nunquid hac ille seruitute hominibus inseruiebat in acquisitione turpis quæstus? Nunquid ad eum (*Paulum*) de toto orbe confluebant ambitiosi, auari, simoniaci, sacrilegi, concubinarij incestuosi, & quæcunque istiusmodi monstra hominum, vt ipsius Apostolicâ autoritate vel obtinerent honores ecclesiasticos vel retinerent? *Idem lib 1. de consid. ad Eugen 3*

Plena est ambitiosis Ecclesia. Non est iam quod exhorreat in studijs & molitionibus ambitionis, non plus quàm spe- *Idem ibid.*

lunca latronum in ſpolijs viatorum. Si Chriſti diſcipulus es, igneſcat zelus tuus, exſurgat authoritas aduerſus impudentiam hanc & generalem peſtem.

Idem ibid. lib. 3. Annon limina Apoſtolorum plus iam ambitio quàm deuotio terit? Annon vocibus eius veſtrum totâ die reſultat palatium? Annon quæſtibus eius tota legum canonumque diſciplina inſudat?

Idem ibid. Quouſque murmur vniuerſæ terræ aut diſſimulas, aut non aduertis? Quouſque dormitas? quouſque non euigilat conſideratio tua ad tantam appellationũ confuſionem atque abuſionem? præter ius & fas, præter morem & ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non cauſa diſcernitur aut perſona. Præſumuntur leuiter paſſim, plerumque nequiter.

Idem ibid. lib. 4. Inter hæc, tu paſtor procedis deauratus, tam multa circundatus varietate. Oues quid capiunt? ſi auderem dicere, Dæmonum magis quàm ouium paſcua hæc. Scilicet ſic factitabat *Petrus*? ſic *Paulus* ludebat? vides omnem eccleſiaſticum

cum zelum feruere solâ pro dignitate tuenda? Honori totum datur, sanctitati nihil aut parum.

Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis: non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus Ministris. Absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum: *Si amas me, pasce oues meas.* In his successisti non *Petro* sed *Constantino.* Idem ibid.

Absit autem vt credam tantas eos quãtas video in plærisque Monasterijs vanitates ac superfluitates præcepisse vel concessisse. Miror etenim vnde inter Monachos tanta intemperantia in commessationibus & potationibus, in vestimentis & lectisternijs, & equitaturis, & construendis ædificijs inolescere potuit, quatenus vbi hæc studiosiùs, voluptuosiùs, atque effusiùs fiunt, ibi ordo meliùs teneri dicatur, ibi maior putetur religio. Idem Bern. in Apologia ad VVillernum Abbatem Cluniacensem.

Quis in principio cùm ordo cœpit Monasticus, ad tantam crederet Mona- Idem ibid.

chos inertiam deuenire? O quantum distamus ab his qui in diebus Antonij extitere Monachi! &c.

Idem ibid. Nihil de Scripturis, nihil de salute agitur animarum: sed nugæ & risus, & verba proferuntur in ventum. Inter prãdendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus, quibus totus intentus, modum nescias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur, & pro solis carnibus à quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. Cumque prioribus fueris satiatus, si secundas attigeris, videberis tibi nec dum gustasse pisces, tantâ quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis deuoratis prima non impediant nouissima, nec satietas minuat appetitum, &c. Vide plura ibidem de ingluuie Monachorum.

Idem ibid. Heu me miserum qualemcunque Monachum! cur adhuc viuo videre ad id deuenisse ordinem nostrum? &c.

Idem ibid. Ac iam religionis antiquæ non solùm virtutem

virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Ecce enim ipse habitus noster (quod dolens dico) qui humilitatis esse solebat insigne, à monachis nostri temporis in signum gestatur superbiæ. Vix iam in nostris prouincijs inuenimus, quo vestiri dignemur. Miles & Monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullum & chlamidem. Quiuis de seculo quantumlibet honoratus etiamsi Rex, etiamsi Imperator ille fuerit, non tamen nostra horrebit indumenta, si suo sibi modo præparata fuerint & aptata.

Dicam, dicam: præsumtuosus dicar, sed verum dicam. Quomodo lux mundi obtenebrata est? quomodo sal terræ infatuatum est? quorum nobis vita via vitæ debuit esse, dum exemplum in suis actibus ostendunt superbiæ? cæci facti sunt duces cæcorum. Quod enim (vt cætera taceam) specimen humilitatis est, cùm tantâ pompâ & æquitatu incedere, tantis hominum crinitorum stipari obsequijs, quatenus duobus Episcopis vnius Abbatis multitudo sufficiat? Mentior si non vidi Ibidem.

vidi Abatem ſexaginta equos et eo amplius in ſuo ducere comitatu. Dicas ſi videas eos tranſeuntes non patres eſſe monaſteriorũ, ſed principes prouinciarum. &c. vide.

Idẽ Bernar. ſerm. Ecce nos reliquimus omnia.

Væ, væ, in domo Dei horrendum videmus. Quid ni Idololatras miniſtrantes? Mentior ſi non idolorum ſeruitus auaritia eſt: ſi non quibuſdam etiam venter ſuus factus eſt Deus ſuus. Quod enim quiſque præ cæteris colit, id ſibi Deum conſtituiſſe probatur.

Ex ſermone cuiuſdam in concilio Remẽſi ad Clerum habito.

Et ſi reddenda eſt ratio de his quæ quiſque geſſit in corpore ſuo, heu quid fiet de his quæ quiſque geſſit in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia! Eccleſia Dei vobis commiſſa eſt, & dicimini paſtores, cum ſitis raptores. Et paucos habemus heu! paſtores, multos autem excommunicatores. Et vtinam ſufficeret vobis lana & lac, ſititis enim ſanguinem, &c.

Ibidem.

Fratres ſic facit Ieſus hodie, eligens ſibi multos diabolos Epiſcopos? vbi (proh dolor) reperiemus Epiſcopos? qui poſt adeptam dignitatem in humilitate ſe con-

contineant? nempe ſuperbia eis occaſio eſt, vt ad tantam dignitatem aſpirent.

Archipresbyter circuit obedientiam ſibi creditam, & vt impleat ſaccum ſuum, tradit ſanguinem iuſtum: vendit nempe homicidia, adulteria, inceſtus, fornicationes, ſacrilegia, periuria, & vſque ad ſummum implet manticam ſuam. Famâ igitur volante innoteſcit Epiſcopo talis quæſtus, & accerſito Archipresbytero, Da mihi (inquit) partem meam. At ille, Nihil dabo tibi. E contra Epiſcopus, Si non dederis mihi (inquit) partem meam, auferã tibi omnia: fitque altercatio maxima, & propter auaritiam fit diſcordia. Poſtea verò Archipresbyter reuoluens ſecum quòd authoritate Epiſcopi fungatur poteſtate iſta, & quod ſine gratia ipſius nihil poſſit, peruerſe conuerſus, pœnitet (inquit) me, accipe partem tuã, & inſuper de mea quod bene placitum fuerit, & reconciliantur. Heu, ſicut Herodes & Pilatus reconciliati ſunt, & Chriſtus crucifixus eſt: ſic nihilominus iſti re- Ibidem.

con-

conciliantur,& pauperes Christi spoliati sunt.

Ibidem. Episcopi verò & sacerdotes huius temporis castitatis sanctimoniam (sine qua nemo videbit Deum) tam in corde, quàm in corpore quomodo studeant obseruare? Ibidem isti autem castitatis insigne qualiter custodiunt, qui traditi in reprobum sensum faciunt quæ non conueniunt? Quæ enim in occulto fiunt ab Episcopis, turpe est dicere. Melius itaque arbitror super hoc dissimulare & supersedere, quàm aliquid vnde scandalizentur innocentes & inexperti, dicere. Sed ego nec verecundabor dicere, quod ipsi non verecundantur facere: imo quod Apostolus non verecundatur scribere & prædicare? Dicit autem egregius prædicator, sic masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem sui erroris recipientes.

Ex

Ex Iohannis Sarisburiensis Episcopi Carnotensis Polycratico, qui obijt, Anno Domini, 1182.

SEd nec Legati sedis Apostolicæ manus suas excutiunt ab omni munere: qui interdum in prouincijs ita debacchantur, ac si ad Ecclesiam flagellandam egressus sit Satan à facie Domini. Concutiunt angulos, domos, vt prosternant filios & filias eius, qui languores & dolores animarum curauit in cruce. Commouent & conturbant terram, vt videantur habere quod sanari oporteat. In Polycratico lib. 5. cap. 16. fol. 169.

Memini me causa visitandi Dominũ *Adrianum* Pontificem quartum, qui me in vlteriorem familiaritatem admiserat, profectum in Apuliam, mansiq́ue cum eo *Beneuenti* fermè tres menses. Cùm itaque vt fieri solet inter amicos, sępè pluribus conferremus: & ipse quid de se, & Ecclesia Romana sentirent homines à me familiariùs & diligentiùs quæreret: ego apud eum vsus spiritus libertate, mala Idem libr. 6. c. 24. fol. 208

mala quę in diuersis prouincijs audieram patienter expoſui. Sicut enim dicebatur à multis Romana Eccleſia, quæ mater omnium Eccleſiarum eſt, ſe non tam matrem exhibet alijs quàm nouercam. Sedent in ea Scribæ & Phariſæi, ponentes onera importabilia in humeris hominũ, quæ digito non contingunt. Dominantur in clero, nec forma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam: pretioſam ſuppellectilem congerunt: auro & argento onerant menſas, ſibi etiam ab auaritia nimis parci. Nam pauper, aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tam Chriſtus, quàm vana gloria introducit. Concutiunt Eccleſias, lites excitant, collidunt clerum & populum: laboribus & miſerijs afflictorum nequaquam compatiuntur, Eccleſiarum lætantur ſpolijs, & quæſtum omnem reputant pietatem. Iuſtitiam non tam veritati quàm pretio reddunt. Omnia namque cum pretio hodie: ſed nec cras aliquid ſine pretio obtinebis. Nocent ſæpius, & in eo dæmones imitantur: quòd tunc pro-

prodeſſe putantur, cùm nocere deſiſtunt, exceptis paucis qui nomen & officium paſtoris implent. Sed & ipſe Romanus Pontifex, omnibus grauis & ferè intolerabilis eſt. Præterea omnes arguuntur, quòd ruentibus & collabentibus Eccleſijs, quas patrum conſtruxit deuotio, altaribus quoque incultis, palatia extruit: & ipſe non modò purpuratus, ſed de auratus incedit. Palatia ſplendent ſacerdotum, & in manibus eorum Chriſti ſordidatur Eccleſia. Prouinciarum diripiunt ſpolia, ac ſi theſauros Cræſi ſtudeant reparare. Sed rectè cũ eis agit altiſſimus, quoniam & ipſi alijs, & ſæpè viliſſimis hominibus dati ſunt in direptionem. Et, vt opinor, dum ſic in nimio errauerint, nunquam deerit eis flagellum Domini.

Sed & boni rapiuntur interdum, ne malitiâ immutentur: & quia Roma corrupta apud Deum, his reperitur indigna. Tu ergo quia id habes officij, quære & viſe humiles, vanæ gloriæ & pecuniæ contemptores. Sed timeo nedum pergis quæ- Ibid. paulo poſt.

quærere quæ vis: ab imprudente amico audias quæ non vis.

Idem lib c.17.fol.3

Domesticas calamitates, & thalamum sapientiæ expositum fornicatoribus: & sanctuarij interioris recessum in prostibulum permutatum, sine gemitu & lachrymis nequeo deplorare. Domus namque orationis, negotiationis Domino prohibente, facta est domus: & templum fundatum in lapide adiutorij, in latronum speluncam versum est. Siquidem Ecclesia data est in direptionem, alijs palam, alijs clam occupantibus eam.

Ibid. paulo post.

Alius enim in nobilitate confisus, aut viribus potestatum violenter in sancta irruit, & si fortè pulsat ostium, parietem aut limina suffodere non veretur. Nam & seditionem concitabit in Moysen, & alienum ignem in Templum inferet, & vasa sanctuarij contaminabit. Alius sperans in multitudine diuitiarum, Symone ducente ingreditur; non inuenies ibi qui eum & pecuniam suam iubeat ire in perditionem.

Alius

Alius in muneribus ad *Petrum* reformidat accedere: clanculò tamen per impluuium auri, ac si per tegulas *Iupiter* elabatur in gremium *Danaes*: sic in sinum Ecclesiæ procul discendit incestus.

Ibid. Idem lib. 8. cap. 17. fol. 340. Idem ibid. cap. 23. fol. 363.

Iam palàm emuntur omnia, nisi modestia venditoris impediat.

Quid iste dixisset, si post longissimum & funestissimum schisma inter Vrbanū 6. & Clem. 7 eorumque successores vixisset, in quo 200000. homines occisi sunt, vt constat ex literis Henrici 4. Angliæ regis ad Gregor. 12., quæ extant in Thom. Walsing. histor.

Quâ verò impudentiâ hoc attentare audeat discipulus crucifixi, Vicarius *Petri*, Pastor animarum, quòd vigente infidelium disciplinâ, Vicarius Imperatoris sub officio Consul, rector corporum præsumere non audebat?

Fertur à quibusdam, & verum est, quòd super Romano pontificatu ab ambitiosis, quandoque immò sæpè litigatum, & non sine sanguine fraterno Sancta Sanctorum ingressus sit Pontifex. Concitata sunt iterum bella plusquam ciuillia inter *Cæsarem* & *Pompeium*, & quicquid Philippis, Leucade, Mutinæ, in Egypto, Hispaniâue præsumptum est, quicquid impiè gestum, pugna sacerdotalis absoluit. Nunquid Christiani sanguinis procurant effusionem, vt eis præ

cæteris liceat pro grege, quòd pastoris est, animas ponere? Nunquid Ecclesiam diruunt, profanant sancta, vt sit quod ædificari & sanctificari oporteat? Concutiunt populos, regna sollicitant, Ecclesiarum diripiunt facultates, fortè vt sibi faciant materiam promerendi, vt componant omnia: vt pauperibus miserendi & prouidendi alijs concurrentibus necessitatem præcipiant.

Ex Marsilij Patauini libro qui inscribibitur, Defensor pacis, scripto circa Annum Dom. 1324.

Defens. pacis part. 2. cap. 10. pag. 301.

QVæ verò de Ecclesiasticorum officiorum & beneficiorum seu temporalium distributione fiunt inconuenientia, pertranseo. Nam ipsorum plurima prece vel fauore potentum seculi obtinendis, aut pretio (si fas sit dicere) distributoribus aut intercessoribus, *Magi Simonis Ministris* oblato, talia conferuntur *ignorantibus, criminosis, pueris, incognitis, & inuisis at idiotis*, manifestè secundum totius vulgi sententiam. Cùm tamen A-

posto-

poſtolus, 1. *ad Timoth.* 3. præcipiat officiales eccleſiaſticos debere cognoſci tanquam probatos & perfectos vitâ ſeu moribus & doctrinâ. Vnde vbi ſuprà: *Oportet autem illum*, id eſt, Præsbyterum ſeu Epiſcopum,& *teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt*, quantò magis ab his qui ſunt intra Eccleſiam? Et infrà parum eodem: *Diaconos ſimiliter pudicos. Et hi autem probentur primum, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.* Veruntamen hoc conuenienter poteſt dicere quis, quòd benè probantur horum plurimi, vt nouit mundus, quantum ſcilicet pretium aut precem valeant exhibere. Quòd ne ſingula inconuenientium dinumerare tentemus, tanquam impoſſibilium aut difficillimum valdè, de Præſbyterorum ſeu Epiſcoporum, cæterorumque templi Miniſtrorum quaſi omnium actibus ſummam facientes, coram Chriſto teſtamur, eius ſi mentimur iudicium inuocantes, præfatos Epiſcopos & reliquos ferè omnes modernis temporibus, omnium quaſi oppoſita perpetrare,

quæ ſecundum doctrinam Euangelicam alijs prædicant obſeruanda. Voluptates namque vanitates, temporalia, & ſęculi principatus exardent, & omni conamine, non iure, ſed iniuriâ occultâ & manifeſtâ proſequuntur & occupant.

Idem ibid. cap. 19. pag. 312.

Nunc verò propter eccleſiaſtici regiminis corruptionem, plurima pars ſacerdotum & Epiſcoporum in ſacra Scriptura periti ſunt parùm, & (ſi dicere liceat) inſufficienter, eò quòd temporalia beneficiorum, quæ aſſequuntur officijs ambitioſi, cupidi, & cauſidici quidam obinere volunt, & obtinent obſequio, prece, vel pretio, vel ſeculari potentiâ. Et Deo teſte, ac fidelium multitudine, Sacerdotes plurimos, Abbates & eccleſiaſticos Prælatos quoſdam me vidiſſe ac audiuiſſe memini adeò diminutos, vt etiam nec Grammaticę congruum ſcirent proferre ſermonem. Et quod amplius horrendũ eſt, in eccleſiaſtico ritu ſciui & vidi hominem citra vigeſimum ætatis ſuæ annũ diuinæ legis ignarum quaſi penitùs, cui tamen in famoſa & populoſa ciuitate cõmiſſa

miſſa eſt epiſcopalis cura, eo non ſolùm ſacerdotali ordine carenti, verumetiam Diaconatus & Subdiaconatus: exorti &c.

Quis enim non admirabitur aut ſtupebit, diuinarum Scripturarum ignaros iuniores, morum conuenienti grauitate carentes, inexpertes, indiſciplinatos, & quandoque notoriè criminoſos, ad maiores Eccleſiæ thronos eſſe præfectos ſimoniacâ prauitate, vel prece potentum, (non dico quandoque terrore, obſequio vel ſanguinis affinitate) repulſis aut neglectis Scripturæ ſacræ doctoribus, viris honeſtate probatis? Ficta ne loquor aut falſa? ab numerante quippe prouinciarum Epiſcopos aut Archiepiſcopos, Patriarchas, & reliquos inferiores Prælatos, ſacræ Theologiæ Doctor, aut in ipſa ſufficienter inſtructus, non *reperietur vnus ex decem.* Et quod referre pudet (quamuis non pigeat, quia verum) Epiſcopi modernorum neque prædicare populo verbum Dei, nec hæreticorum, ſi qui apparuerint, nouerunt erroris aduerſari do- Ibid. cap. 23. pag. 355.

ctrinis, ſed in prædictis euentibus impudenter mendicant aliorũ doctrinas, &c.

Idem ca. 15. pag. 382. Eam etenim quæ verè Chriſti ſponſa eſt, catholicam fidem & fidelium multitudinem non defendunt moderni Romanorum Pontifices, ſed offendunt: illiuſque pulchritudinem, vnitatem videlicet, non ſeruant, ſed fœdant, dum Zizanias & ſchiſmata ſeminando, ipſius membra lacerant, & abinuicem ſeparant: Chriſti quoque veras comites, paupertatem & humilitatem dum non admittunt, ſed excludunt penitùs, ſe ſponſi Miniſtros non oſtendunt, ſed potiùs inimicos.

Ibidem ca. 28. pag. 457 Nemo ergo Sacerdotum ſeu Epiſcoporum interueniebat pro agris, quoniam Chriſtum & Apoſtolos imitantes, horum abdicabant dominium, pro fide verò agonizabant conſtanter vſque ad mortem: quamuis moderni Epiſcopi & præcipuè Romanorum, pro agris & ſecularibus dominijs fortiſſimè pugnent, & pugnas vndique inter Chriſti fideles concitent, dicentes ſe in hoc iura ſponſę Chriſti

Christi defendere, cùm tamen ipsius iura non sint, sed iniuriæ: veram sponsam, fidem videlicet, doctrinam & mores defendere, ne per prauos vsus aut actus, aut infidelium impetum corrumpatur, quasi totaliter negligentes.

Ex libro Aluari Pelagij, Episcopi Syluensis, De planctu

Ecclesiæ, impresso Venetijs, 1560. qui fuit auditor Iohannis Scoti, & claruit circa *Annum Domini*, 1320.

Ex hoc Libro qui magnus est, tantùm pauca delibabo, quia cùm eius copiam & vsum ad exiguum temporis spatium habuerim, non eum totum perlegere, sed quædam capita percurrere potui.

QVando enim eras pauper & humilis in temporalibus, diues virtutibus, te vniuersus orbis adorabat, & vniuersa quæ in pauperes erogabas, offerebat. *Esa. 66. Omnes de Saba venient, Mat. 2. Et nunc in stercoribus:* Alph. Pelag. de planctu Ecclesiæ. li. 1 cap. 67. fol. 90.

Philip. 3. Ditata & gemmata, quasi ab omnibus es inculcata.

Idem ibid. fol. 91. Deinde regnatura est sancta sponsa, vxore traductâ, Ecclesiâ renouatâ per secula infinita, *Apocalip.* 19. Quâ generali renouatione nec puto longè existente, quia iam in mundo videtur esse omnis malitia & immunditia consummata.

Idem lib. 2. cap. 2. fol. 3. Sequitur: Adolescentibus impudicè abusi sunt: Heu! heu! intra sanctam Ecclesiam multi religiosi & Clerici in suis latebris & conuenticulis, & laici iam in plærisque ciuitatibus, maximè in Italia publicè quodammodo nefandum gymnasium constituunt, & palestram illius flagitij abominatione se exercentes, & optimi quique epheborum in lupanari ponuntur.

Idem ibid. fol. 5. Pastores hodiè Ecclesiæ, prout communiter cœci sunt vtrâque cœcitate ignorantiæ & peccati. Contenebrati sunt Ibid. statim. oculi nostri, scil. Prælati qui sunt oculi in Ecclesia.

Idem ibid. Innoua dies nostros sicut à principio. Typicè oratio *Hieremiæ* fit pro ista Ecclesia,

clesia, quæ tantùm deficit à perfectione & sanctitate suâ: vt innouetur in plenaria sanctitate, sicut fuit in Ecclesia primitiua. Sed ista innouatio non fiet, nisi priùs fiat purgatio, & vitiorum eliminatio.

Innoua dies nostros. Verè melior erat Ecclesiæ Primitiuæ per 83. dies vna, super millia illius Ecclesiæ quæ nunc currit: dies illa superabat incomparabiliter diem istam. Idem ibid. cap. 3.

In exitu Israel de Egypto, domus *Iacob, &c.* & Ecclesia sancta exigentibus peccatis, rursus in Babylonem captiuatur, id est, in confusione peccatorum. Ibidem. cap. 4. fol. 8.

Vnde & Dominus odit & proijcit festiuitates nostras. Pleni enim homicidijs, immunditijs, ambitionibus, & cupiditatibus, & auaritijs, & odijs, & sacrilegijs, & crapulis, & ebrietatibus, lotis manibus, & cruentatis cordibus & conscientijs, nostra Sabbata non Dominica celebramus. *Esa.* 1. *Audite verbum Domini Principes Sodomorum*, Prælati Ecclesiæ. Idem ibid. fol. 9.

Abstulit Dominus omnes magnificos: Sæpè enim in toto orbe perpauci remanse- Idem ibid. fol. 11.

remanserunt magnifici, qui sana doctrina defenderent causam fidei.

Idē cod. lib. ca. 15. fol. 48

Mundet igitur Dei vicarius curiam suam consuetudinibus symoniacis: *extr. de simo. cum in Eccles. & ca. ea quæ.* quia ad eum pauci intrant, nisi qui soluunt. Nullus quasi pauper hodie ad Papam intrari potest. Clamat & non auditur, quia non habet quod soluat. 11. q. 3. *pauperes.*

Idem ibid.

Audeamus dicere præsertim quod notorium satis est, quòd verè hodie Luna, id est Ecclesia ecclipsim patitur, & in capite, & in membris istis carnalibus temporibus fere tota versa est in sanguinem, Luc. 21.

Idem ibid.

Nepotulos & alios consanguineos clericos nedum ad altas prælationes promouent ditissimas & altissimas: sed etiam ad statum Cardinalatus, insçios totaliter & indignos, & committunt eis iudicare & regere totum mundum qui regere nesciunt semetipsos, Extra de ętate & quale indecorum.

Idem ibid.

Consanguineis autem secularibus procurant & emunt nedum campos, terras,

&

& vineas, & simplicem militiam, sed etiam Baronias, comitatus, Marchionatus, & omnes alios mundi potentatus: & tales Papæ consanguinei, qui ante eius papatum soli vagabantur per mundum peditando, nunc stipati militum agminibus incedunt. &c. vide.

Prælatorum nepotuli & alij consanguinei dij eorum hodie sunt. Ipsos supra Deum & contra Deum diligunt. Ipsos contra Deum & plus quàm Deum honorant. Idem ibid.

O quot Nepotes & consanguineos Prælati præmittunt & sequuntur ad inferos, eis beneficia impetrantes & conferentes, quorum amplissima stipendia recipient non militaturi in eis, nec debitũ seruitium in suis beneficijs Domino impensuri, de cura animarum non curantes, sed de bursa, prouentus beneficiorum luxuriosè expendentes. Idem ibid.

Sed iamdiu est quod in quibusdam ex eis (Cardinalibus) sicut in quibusdam Romanis Pontificibus optimus color mutatus est, Thren. 4. Creuit in eis 93. Idẽ ib. cap. 6 de statu cardinalium.

dist.

dist. Diacom. v. potentia, dignitas, honor & diuitiæ, sed decreuerunt virtutes. Aucta est possessio, diminuta religio. Creuerunt in exterioribus, minorati sunt in interioribus.

Idem ibid. Alias obtinent dignitates & beneficia pinguiora vbique terrarum prætextu familiæ dilatandæ, & honorem carnalem Cardinalatus in equis & domicellis, & Lautis, 35. dist. Ecclesiæ, conuincijs manutenendi, quorum reditus plusquam communiter Cardinalatus ascendunt. Sed inter eos multi reditus obtinent decem, quindecim, & viginti, & triginta millium florenorum, & sic partes alienas inuadunt, q. 3. dist. Diacom. v. vorantes multorum stipendia ministrorum, 89. dist. singula. Vbi de hoc extra de præbentes. Et qui ante Cardinalatum vno competenti vel duobus potuit contentari, absorbet fluuium beneficiorum & fiduciam habet quod influat Iordanis in os eius, quia nunquam beneficiorum cumulo satiatur. Iob. 40. Et (quod peius

peius est) vix de hoc aliquis eorum conscientiam aliquam habet, quia sic est quasi generalis omnium abusus: sed non minus ardebunt, qui cum multis ardebunt.

Item beneficia quæ impetrant à Papa communiter pro indignis, aut ad preces regum & principum Cardinales, aut pro suis seruitoribus, aut prout frequentius, pro suis consanguineis impetrant, vix vnquam alicui Clerico benè merito impetrant vnum pauperrimum beneficium Dei amore, quem parum habent præ oculis: semper cœcum animal aut claudum, aut languidum offerentes. Luit. 21. Idem ibid.

At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficio facere, vt non quærant eos in Ecclesia columnam erigere, quos plus agnoscunt Ecclesiæ prodesse: sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti. Idem ibid.

Ostendunt (Cardinales) in pomposis vestibus, familia magna, equis Hispanis, & Idem ibid.

& cuncta sua supellectile preciosa. Vbicunque enim in mundo preciosa sunt ad manus eorum perueniunt, & in gloria huius mundi viuunt. Qui eorum habebunt aliam gloriam, Deus nouit.

Idē ibidē 18 de statu Episcoporum & eorum excessibus.

Vix credo maximè in Hispania, quòd de centum Episcopis sit vnus qui non sit Symoniacus in ordinibus & beneficijs conferendis. Nam nec propter aliud ordines celebrant, dantes suas benedictiones à Deo maledicti, 1.q.1. maledicam: nisi vt lucrentur pecunias. Vnde in vna ordinatione lucrabatur ibi Episcopus nunc per expressas, nunc per tacitas symonias suarum literarum, sigillorum, portariorum matricularum obtentu, 450 & eo amplius frequenter florenos.

Idem ibid.

Sexagesimum secundum, quod omnibus prædictis excessibus grauius est, nedum de eo quòd in occulto peccant per suas immunditias & symoniacas pactiones, & fraudes, superbias, & inuidias, & auaritias, quæ tamen à plærisque sciuntur, nullam verecundiam habent aliqui ex eis: sed nec de ijs in quibus publicè

licè delinquunt, immo in peccatis gloriari videntur. Extra de ex. Præl. quàm graue.

Vel ipsam dispensationem non seruant, quum enim secundum stilum curię semper dicatur & apponatur in talibus literis, quòd cura animarum vel obsequium Ecclesiæ non negatur, de ista clausula nihil curant, dummodo possint ipsi reditus imbursare. Sed hoc facit auaritia & ambitio nimia, quâ tantâ laborant, vt nequeant saturari. Idē ib. ca. 25 de vitijs aliorū Ecclesiæ ministrorū.

Quartò, quia nimis incontinenter viuunt, & vtinam nunquam continentiam promisissent maximè Hispani & Regnicolæ, in quibus prouincijs, in pauco maiori numero sunt filij Laicorum quàm Clericorum. Idem cap. 29 de vitijs quorūdam præsbyterorum.

Et (quod sceleratius est) per plurimos annos de latere concubinæ qualibet die surgunt non præmissa confessione vel Hypocritali cum proposito redeundi, & procedunt ad altare, ad terrificam hostiā consecrandam. Ibid. statim.

Quinto, quia immiscent se spectaculis Idem ibid.

&

& pompis mulierũ,& conuiuijs publicis, & vitę inhonestę,vsuris,& turpibuslucris, fraudibus,amori pecuniæ,secularibus negotijs atque officijs.Munera continua recipiũt pro beneficijs medicinę,id est pro sacramẽtis. Dolosi sunt,conspiratores,sectantes odium,emulationem,obtrectationem,inuidiam, sunt vagi oculis, effreni lingua, petulantia & gestu fluido laborantes.

Idem ibid. Sextò, quia libentiùs dant ioculatori & meretrici quàm pauperi.Plus diligunt venari quàm psallere.

Idem ibid. Decimò, quia imponunt Missas pro pecunia confitentibus sibi, vt pecuniam pro eis ipsi recipiant,&c.

Idem ibid. Decimo quarto, quia sæpè cum Parochianis mulieribus quas ad confessionem admittunt sceleratissimè fornicantur.

Idem ibid. Decimo nouo, quia celebrant pro adulationibus secularium,& pro pecunia. Et iam consuetudine, vel potius corruptela: extra de consue.cum venerabilis, in plærisque partibus, vt in Portugallia, vbi

Missa

Miſſa pro tribus ſolidis eſt taxata, quæ taxatio Simoniam inducit. extra. de *Simo.* dilectus filius A. inoleuit, quòd Miſſa taxata tribus vel quatuor denarijs, vel vno ſolido venditur, & emitur à populo cœco & Presbyteris ſimoniacis ſceleratis.

Ex Theodorico de Niem. qui fuit Secretarius Papæ Vrbano ſexto, & poſteà Epiſcopus Verdenſis, vixitq; circa annum Domini. 1385.

VNde ipſa fides Catholica obnubilatur, omnis religio naufragium patitur, Chriſtiani inter ſe diſſidentes plerumque ſe confundunt, guerræ & aliæ calamitates multæ pullulant, Dei timor, & hominum verecundia, & virtutes à pleriſque regnantibus & præſidentibus populis atq; alijs inferioribus omnis ſtatus propterea in longum abierunt, in eorum loca ſucceſſerunt vitia, iuſtitia corruit in plateis, & in effectu in vniuerſali Eccleſia à capite vſque ad plantam pedis

Theodor. de Niem. de Hiſtoria de ſchiſmate lib. 2 cap. 49 in fine.

non est sanitas: nam multi Archiepiscopi & Episcopi, qui populis præsunt, plerunque religionis & honestatis cultum deferentes in habitu & moribus atque insanijs multis laicis se conformant, necnon auaritia incalescentes, penè omne pingue de clero & populo surripiunt cõtinuè famelici remanentes, nec Deo, nec supremis potestatibus obediunt. Et quia hæc nota sunt omnibus, ad recitandam vlterius historiam me conuerto.

Idem lib. 3. cap. 43. pag. 170.

Et qualis sit discessio in ipsa Ecclesia Romana, & etiam Prælatorum Ecclesiasticorum religio, siue sanctimonia in partibus occidentis, non oportet describi: patet enim vtrumque istorum in sacerdotio & in regno: & si ipsa sunt pronostica aduentus ipsius Antichristi discutiant, si qui sunt qui nouerunt sensum Dei.

Idem Memoris vnionis tractatu 3. pag. 223.

Aliud quidam sitit & esurit, alius autem ebrius est, & notum est, quòd plerique indocti & ambitiosi, doctis & ciuiliter agentibus præferebantur, auaritiâ stimulante in Romana curia, & non defecit

fecit in plateis noſtris vſura & dolus, *Pſal.* 54.

Nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra quotidiè ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intentâ mente captamus: & quia vt gradu, quo cæteris prælati ſumus, ad agenda quælibet maiorem licentiam habemus, ſuſceptæ benedictionis miniſterium vertimus ad ambitionis argumentum. Idem ibid.

Interim autem quòd ego Romanam curiam ſecutus ſum, quaſi luſtris ſeptem, vel circa, ſemper in ea practicari conſpexi communiter illud: *Multi colunt perſonam potentis, & amici ſunt dona tribuentis, fratres hominis pauperis oderunt eum, inſuper & amici procul receſſerunt ab eo, Prou.* 20. Idem ibid. pag. 224.

Sexta concluſio: Libido dominandi, lucrum, ambitio, rapacitas & auaritia ſunt cauſæ principales, quare tot ſchiſmata & mala fiunt & ſunt in Dei Eccleſia. Idem ibid. tract. 5. pag. 270.

Quòd experimentaliter videmus, cùm enim ipſa diſcordia pullularet in Eccleſia, mox profectò omnis virtus in Eccle- Idem ibid. pag. 277.

sia cassatur, Simonia dominatur, omnis malitia collaudatur, bonus deprimitur, indignus exaltatur, &c.

Idem ibid. tractat. 6. cap. 34. pag. 374.

In quibus (22. Monasterijs Frisiæ) penè omnis religio & obseruantia dicti ordinis, ac Dei timor abscessit, libido & corruptio carnis inter ipsos mares & Moniales, nec non alia multa mala, excessus & vitia, quæ pudor est effari, per singula (monasteria) succreuerunt, ac de die in diem magis pullulant & vigent in ipsis.

Idem ibid.

Ipsæque Moniales pro earum libitu voluntatis sæpè, imò sæpiùs prædicta monasteria exeunt, conuiuia secularia atque notos & amicos earum frequentando, & iterum redeunt ad eadem, quia ipsæ Moniales sub clausura perpetua & debita non existunt, & quod quidem etiam detestandum est, potissimè messis tempore cum dictis conuersis ad colligendum frumenta & fœnum extra eadé monasteria transeunt, & durante messe huiusmodi in campis, pratis & pascuis multos dies inutiliter ac inhonestè consumunt. Fornicantur etiam quàmplures huiuſ-

huiuſmodi Monialium cum eiſdem ſuis Prælatis ac Monachis & conuerſis, & in ijſdem monaſterijs plures parturiunt filios & filias, quos ab eiſdem Prælatis, Monachis & conuerſis fornicariè, ſeu ex inceſtuoſo coitu conceperunt. Filios autem in Monachos, & filias taliter conceptas quandoq; in Moniales dictorum monaſteriorum recipi faciunt & procurant: & quod miſerandum eſt, nonnullę ex huiuſmodi Monialibus maternæ pietatis oblitæ, ac mala malis accumulando, aliquos fœtus earum mortificant, & infantes in lucem editos trucidant, ſeque habent ſæuiſſimè circa illos, etiam Dei timore ſecluſo. Vnde ſi tales Moniales, quæ talia perpetrant, eſſent perſonæ ſeculares, ipſæ pro tam inhumanis ſceleribus eorum iuxta leges ſeculi, morte ęquiſſimâ damnarentur.

Inter ipſos etiam multi alij graues & enormes exceſſus, propterea in eiſdem monaſterijs perpetrantur, quia abſq; viſitatione & correctione præmiſſâ exceſſus & certamina remanent vt frequenter. Ibid. ſtatim.

Idem ibid. cap. 35. pag. 377.

In eisdem etiam partibus Hyberniæ & Norwegiæ iuxta consuetudines patriæ licèt Episcopis & Præsbyteris tenere publicè concubinas, & eisdem visitantibus bis in anno subditos sibi Præsbyteros, ac ecclesiasticorum parochialiumque Rectores, suam dilectam ducere secum ad domos & hospitia eorundem subditorum præsbyterorum. Nec ipsa dilecta permittit Episcopum amasium visitare sine ipsa, his de causis, vt tunc lautè viuat cum Præsbyteris visitatis in hospitijs eorundem Præsbyterorum, videatque amasias eorundem, nec non dona seu munera seorsum à quolibet Præsbytero capiat visitato, & ne Amasius visitans, Episcopo fortè vidente eam pulchriorem, illam etiam adamaret, sicque iniuriam faceret dilectæ, &c.

Ibid. ſtatim.

Et penè idem modus scilicet quoad luxuriam, circa Præsbyteros Gasconiæ, Hispaniæ, ac Portugalliæ, nec non contiguarum regionum versus Africam in omnibus obseruatur. Vnde quodammodo plures innaturales ex fœdo complexu nati,

nati, quàm filij legitimi ac naturales in omnibus illis partibus in eccleſiaſticis titulis concedendis præferuntur, & plures legitimis apertiſſimè promouentur.

Et ecce hodiè ex erroribus errores in Eccleſiæ politia generantur, & adeò intricati ſumus, quod neſcimus, in quo nos vertere, aut cui credere debeamus. Nam conſcientiarum & rerum pericula ex inteſtino Cleri bello, ſeu ex ſchiſmate vbilibet adaugentur. Idem ibid. cap 40. pag. 393.

Ex Warneri Roleuinki Monachi Carthuſienſis Coloniæ faſciculo temporum pauca. Vixit Anno Domini. 1480.

HEu! heu! Domine Deus, quomodo obſcuratum eſt aurum? mutatus eſt color optimus: qualia contigiſſe circa hæc tempora etiam in ſancta ſede Apoſtolica, quam vſque huc tanto zelo cuſtodiſti, legimus ſcandala? Quales contentiones & æmulationes, ſectæ, inuidiæ, ambitiones, intruſiones, perſecutiones. O tempus peſſimum in quo defecit ſanctus, Faſciul. temporum fol. 68. A. Do. 204.

ctus, & diminutæ sunt veritates à filijs hominum.

Idem ibid. Isti octo Pontifices successiuè sequentes breui tempore sederunt. Nescio aliquid notabile de ipsis dicere, quia non nisi scandalosa de ipsis reperi propter inauditam in sancta sede Apostolica cõtentionem, vnus contra alium, & similiter contra se mutuò. Nam *Stephanus* cõfirmans facta *Iohannis* octaui Formosum damnauit, & eius facta irrita decreuit, & corpus eius mortuum dehonestauit, digitis duobus abscissis manum in Tyberim proijci mandauit, omninò ingratus contumeliam pro gratia reddens, quia Formosus ipsum anteà Episcopum Anaginæ fecit.

Idem fol. 87. anno. Dom. 1415. Conscientia pura secundum timorem Dei in prælatis vigens Ecclesiam Christi laudabiter more, vitâ, & exemplo erexit & prouexit. Dehinc successu temporis cum iam Ecclesia in temporalibus abundare cœpisset, oblita quodammodo de conscientia, scientia, quæ inflare solet, multos in Ecclesia, præsidere fecit, qui sacram

eram scripturam inuersis versutijs palliantes, iusticias Domini rectas, quæ cor lætificare consueuerunt, propter delitias carnis falsificare non timebant, multas hæreses seminabant, & plura beneficia pinguia per Papam dispẽsando cumulabant. Veruntamen aliqui, licet pauci, cum conscientia retinentes, conscientiâ purâ & scientiâ sanctâ illuminati multos ad iustitiam erudiunt qui iam quasi splendor firmamenti in æterna fœlicitate rutilare creduntur. Sed heu nefandis temporibus cum conscientia de conscientia abrasis solùm sponsam Christi gubernare videmus personas, videlicet conscientia scientiaque carentes. Et velut entia insensibilia Deum nec sanctos eius verentes beneficia super beneficia sibi vsurpare.

Hinc guerræ mortiferæ, destructiones ciuitatum & regnorum, mortes innocentium lamentabiles, & mala infinita nunc facta cernimus: quæ omnia ex pompa Episcoporum & insatiabili auaritia Prælatorum in detestanda processisse cernimus, &c. Idem ibid.

FINIS.

Iohannes Franciſci Pici Mirandulę Domini, & Concordię Comitis, ad Leonem Pontificem maximum, & Concilium Lateranenſe de reformandis moribus oratio.

Iohannes Franciſcus Picus Mirandulæ Dominus, &c. Bilibaldo Pirkheimero ſuo ſalutem.

CVm ad pontem Oeni, tu quidem reipublicæ tuæ legatus, ego verò ob propria negotia Cæſarem ſequens, caſu quodã conueniſſemuus, coram petiſti, vt orationis eius ad Leonem Pontificem maximum & Concilium Lateranenſe deſtinatam, te compotem facerem, & literis tuis, poſtquam in Italiam redij, id ipſum poſtulaſti. Nunc eam tibi habere potes, quam tum non potuiſti, neque enim fas erat, vti prior vllus eam haberet ſibi, quàm is ad quem mittenda erat, ſed miræ expectationis, aliquam Iohanni tuo co-

Cochliti vsuram, cum oratione ipsa Bononiam misi, hymnis tribus comprehensam, Martino, Magdalenæ, Antonio, qui postquam ex Germania in Italiam, indeque in patriam ditionem peruenj, præter quinque alios, diuersis in locis olim formis stanneis excusos, æditi sunt. Cæterùm si me amaueris, ad communem amicum Iohannem Rheuclin alligatam epistolam curabis perferendam, & interim bene vale nostri memor. Mirandulæ Calend. April. Anno salutis M. D. XVII.

Ad Leonem decimum Pontificem maximum, & Concilium Lateranense

Iohannis Francisci Pici Mirandulæ Domini, de reformandis Moribus, Oratio.

SI quis fortasse cuperet in sacratissimo N. Christianæ reipublicæ, conuentu atque concessu de ferendis legibus ad frænandam malorum hominum audaciam vt verba fierent, ipse secum cogitet prius, quo pacto sit opus eos plecti, qui eas

eas quæ à maiorib⁹ nostris ritè positæ, maximoq; habitę in pretio sunt,& habuere contemptui,& nunc maximè habeãt. Nec dubitabit de moribus hominũ, qui tamdiu collapsi iacent,instaurandis,& ad normam positarum iam legũ redigendis orationem ante omnia haberi oportere. Nam tametsi non duxerim in controuersiam referri debere ad sacrosanctam istam Synodum de legibus quibusdam ferendis,præstare tamen existimo, vt à Principibus viris, vt à Cardinibus ipsis, quibus tota nostræ Christianæ reipublicæ moles,verti, regiq; conuenit, sanctissima antiquorum decreta patrum, & honestissima instituta custodiantur. Quod si fiat,populi facilè Antistites ipsos tanquam animatas & viuas leges sequentur atque ad normam pietatis & veræ disciplinæ reuocabuntur. Noua consulta atque decreta neutiquam aspernor, sed veterum custodiam sanctionum in primis duco necessariam, ad ea quæ iam prolapsa defluxerunt pijs primum instaurãda moribus, seueris deinde legibus vin-

vincienda, adeo vt censoribus, vt vindicibus legum ipsarum atque assertoribus magis quàm legislatoribus opus esse non negem. Et quanquam hac de re differendi maius esse onus, quàm vt ferre facile queam non sum nescius: nam valentioribus egeret humeris, & vires robustiores exposceret: tamen quod suapte naturâ pertinet ad omnes, id à me alienum esse non cogito. Quod si ad hanc diem in tanta eruditissimorum hominum turba vel vnum quempiam conspexissem, qui hoc idem exactè sibi adsciuisset, mihi omnino cessandum putassem. Sed quum de statuendis legibus ſępenumero sermonem habitum norim, de legum custodia, vel nullum vel tenuem, vt sunt hominum varia iudicia; varijs rerum occasionibus mota: non abs re mihi visum est fore, si quæpiam afferrem, vt faciliùs ad memoriam reuocarentur sanctissima priorum instituta, quibus obseruatis, nostra Christiana respublica & aucta est semper & conseruata. Posthabitis verò atque contemptis, innumerabiles

les iacturas fecit, & nisi esset seruata diuinitùs, eò miseriæ & calamitatis prolapsa fuisset, vt frustra nunc, Pater sanctissime Leo decime, & vos Ecclesię Cardines & Antistites, conuẽtum haberetis, vt in meliorem statum redigi quiret, optabam certè vt ex doctissimorum hominum, numero aliquis hanc sibi prouinciam desumpsisset, vt maiorem authoritatem & potestatem in audientium animis habitura esset oratio, sed nuda fortasse veritas, puraque simplicitas viribus non carebit. De luxu, de libidine, de auaritia vitanda positas esse leges ab antiquis patribus, nemo est qui nesciat. De pietate, de iustitia, cæterisque virtutibus traditas esse normas, vel ineruditi nouere, eas partim negligi, partim iacere plus etiam quàm volumus experimur. Multi nostræ principes reipublicæ priscam simplicitatem in astutiam, castitatem in nequitiam, liberalitatem & parcimoniam in luxum & auaritiam conuertere. Apud plerosque religionis nostræ primores, ad quorum exemplum componi atque formari plebs

ig-

ignara debuisset, aut certè exiguus Dei cultus, nulla bene viuendi ratio atque institutio, nullus pudor, nulla modestia, iustitia, vel in odiũ, vel in gratiã declinauit, pietas in superstitionem penè procubuit, palamq; omnibus in hominũ ordinibus peccatur, sic vt sæpenumero virtus probis viris vitio vertatur, vitia loco virtutũ honorari soleant, ab his qui suorum criminum, quasi septa, & tanquam mœnia, & inauditam petulantiam, & diuturnitatem impunitatem esse putauerunt. Hi tibi morbi, hæc tibi vulnera sananda sunt (Maxime Pontifex) alioquin si mederi (quoniam id ad te multis de causis potissimum spectat) recusaueris vereor ne non fomentis iam, sed igne feroque is cuius vices geris in terris, membra ipsa affecta dissecet atq; disperdat, signa iam dedisse illum eius futuræ medicinæ planè crediderim. An puellæ Deo dicatæ in Brixiana direptione à religiosissimis abstractæ templis cesserunt militibus loco prædæ? An in Rauennati excidio sacerdotes trucidati? An in Pratensi clade sanctimonia

nia olim celebratæ virgines prostitutæ? Quid aliud pater sanctissime? quidnam aliud nobis intelligi debere? quàm sacras ædes & templa Lenonibus & Catamytis antea commissa, quàm nefarijs lupis optimi pastoris ouilia demandata, quàm virginibus olim dicata plerisque in vrbibus septa, in meretricios fornices, & obscœna latibula fuisse conuersa? Sed initia illa malorum, & prægustationes veteor propinandæ nobis à perfidis nostræ religionis desertoribus potionis amaræ, & luctuosæ, in bonis eam moribus auertamus, in precibus & supplicationibus, non ex summis labris, sed intimis ex animi penetralibus iratum placemus Deum, cuius ad hæc monita & tanquam cœlestia tonitrua non aures modò nó arrigere visi sumus vt resipiscamus, sed deprimere, visi tanquam Æthiopes ad prolabentis Nili strepitum obsurdescere, praua consuetudine affecti sic, vt audiamus suadentibus vitijs, obaudiamus monenti Deo optimo maximo, sapientissimo, qui se contemni ampliùs à nostro se-

culo,

culo nolle ſatis arbitror indicauit, ſignis atque portentis non parùm multis, peſtilentiâ, fame, cruentiſſimis paulò ante prælijs. Quid enim aliud? aut ſi quid aliud, cur hoc tamen noſtris inſinuatum mentibus planè non rear? per tot Cæſarum hominum millia, quorum cadaueribus & contecti ſunt campi, & remorati fluuiorum curſus, eorumque cruore ſuperum mare & inferum quaſi quadam purpurâ infectum, niſi vt memoriam ſubeat innumera in nos collata beneficia nobis non debere eſſe ludibrio, ſcilicet, Chriſtus ille Seruator humani generis tantùm ſanguinis effuderit, vt in eo ſanguine non rediuiui ſolùm facti, ſed ditati etiam ſunt, delicienter in plumis? Quid plumarum feci mentionem, & ſcortorum præterij cateruas & greges exoletorum? & coempta & diuendita ſacerdotia? Sperare poteram (Pater ſanctiſſime) poſtquam ad ſupremum ſacerdotij culmen euectus es, non malis artibus, non pudendis, vt plerique olim pactionibus & mercimonijs, qui per ſummum de-

decus, ſummum decus appetiuere. Sed tua (ita mihi, ita non parum multis viſum) gratiſſimâ humanitate fore aliquando, vti meliorem in ſtatum reformaretur Chriſtiana reſpub. ſed nec omninò deſperarem, ſi adniti volueris, & tuę iſti humanitati, lenitati, facilitati, aliquid ſupercilij, aliquid rigoris, nonnihil pœnarum admiſcere. Danda eſt opera (maxime Pontifex) ne quid detrimenti noſtra reſpublica patiatur, bellum enim tibi cum multis, bellum (inquam) inteſtinũ, periculoſum, graue, quod auertendum eſt ſeueritate diſciplinæ. Luxum cohibe cuiuſcunque ordinis, modum pone ambitioni, compeſce indomitos, & effrenatos libidinis obſcœnæ furores, ſuſpectis ſacerdotum (quod & legibus Eccleſiæ cautum eſt) contubernijs fræna conſtitue, auiditati & ſceleratæ habendi cupiditati terminum præfige. Non concredita & commendata fidei ſacerdotum, ſed comeſta veriùs ab illis & deuorata piorum virorum patrimonia vindica, & effice vt in bonos diſpertiantur vſus, ne amplius

ampliùs ab impuris helluonibus, ab omnium ſcelerum gurgitibus abſorbeantur. Qui auctionibus ſacrorum, pudendiſque licitationibus inuigilauerint, dent pœnas temerariæ mercaturæ. Qui non proſpexerint commiſſo gregi, qui vanitati ſtuduerint innumeræ, ſuperſtitionibus, commeſſationibus, pudendis exercitijs, & familiaribus oblectati, vel corrigantur omninò, vel amoueantur à ſacris, quandoquidem omnia fœdant exemplo, & prauæ conſuetudine vitæ eos qui benè morati, & egregiè inſtituti ſunt, planè corrumpunt, vt hinc non plebis modò, ſed omnis ordinis fiat lapſus in crimina.

Nec ſanè mirum', quando malum omne prodire de templo Iohãnes Chriſoſtomus cenſet, & Hieronimus ſcribit ſe inueniſſe neminem, qui ſeduxerit populos præterquam ſacerdotes, quos quidem ſi vel probè inſtitueris volentes, vel nolentes coerecuris, vniuerſo Chriſtiano orbi ad benè de omni reformatione ſperandum, quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſſe videbere. Potes (ſumme Pontifex) nec

in terris alijs poteſt, & quum poſſis, debes, & quum debes niſi volueris, & curaueris vt fiat, quid ſit periculi ex probatiſſimis eiſdemque diuinis exemplis animaduerte. Succurrat quæſo tibi vetuſtus ille ſacerdos, in quem filiorum non vindicata ſcelera magna ex parte reciderunt, etenim qui præſunt alijs non modò eſt opus vt ſint innocentes ipſi, ſed vt reſiſtant nocentibus, eorumque mala facinora compeſcant, & tum quidem ex Lebete carnes tridenti fuſcinula ſubtrahebantur ab illis, quod peccatum ſacra Regum teſtatur hiſtoria nimis grande fuiſſe, quin homines à Dei ſacrificio retraheret. Nunc autem malorum cateruis exemplorum plebs ignara, & à diuino cultu, & ab omni pietate deterretur. Illi cum mulieribus eâ tempeſtate dormiebant ad oſtium tabernacula. Noſtra verò & in ſacras ædes fit irruptio, & ab illis etiam (proh pudor!) fœminę abiguntur ad eorum libidines explendas, & meritorij pueri à parentibus commodantur, & condonantur his qui ab omni corporis etiam

conceſſâ voluptate ſeſe immaculatos cuſtodire deberent, hi poſt ea ad ſacerdotiorum gradus promouentur ætatis flore tranſacto iam exoleti. Non igitur miremur, ſi deierant & falsò vtrunque ſe noſſe ſacrarum literarum inſtrumentũ profiteantur. Quoniam nec quid eius nomẽ ſignificet pernouere.

Ac memini puerum quendam, in Epiſcopi locum aſcitum, qui quoniam literas penitùs ignorabat, per iocum dum rogaretur, an magnos feciſſet progreſſus in diſciplinis, reſpondiſſe ingenuè, nondum ſe didiciſſe exordium eius orationis quam de more ſacerdotes præfari ſolent diuina facturi. Noui & qui annuas ſacerdotij pecunias, commendatas eorum fidei, ſpurciſſimis voluptatibus & impendant, & impendiſſe glorientur. Hæc tu monſtra (Leo decime) tolerabis? hæc & videbis & patieris? patieris (inquam) vt ignari literarum, vt ad omnia magis apti quàm ad tractanda ſacra, per ignominiã & contumeliam abutantur diuinis, & opes ad templa vel tuenda, vel inſtauranda

paratas, ad ſubleuandam pauperum miſeriã, à pijs hominibus qui iam vitâ ſunt functi deſtinatas, in alienos, & prophanos vſus conuertant? Scribit Hieronim. eos qui rebus Eccleſiæ abutuntur, ſimiles Scribarum eſſe & Phariſęorum, & ſacerdotum Chriſti ſeruatoris ſanguinem mendatio redimentium. Equidem nec Dionyſij myſticam Theologiam, & diuinorum dogmata nominum, neque ſubtilitates hypoſtaſeon, notionum, originum & cæterarum diſceptationum, quæ in Lutetia Pariſſiorum exagitatæ ad nos manarunt, ab omnibus exquiro ſacerdotibus, ſi ſe tamen dederent ſacris literis, & præcellentium noſtræ religionis Antiſtitum doctrinis nauarent operam, multa ſanè commoda ad benè beateque viuendum conſequi poſſent. Non eo ſolùm quòd multa diſcerent, & pro ſe magna, & ipſis vtilia, ſed quoniam eiuſmodi ſtudijs præſtaretur illis, vti faciliùs illecebris ſenſuum nuntium remitterent, cùm honeſtiſſimo in officio occupati, tum ab ipſis ſtudijs admoniti, ad melio-

rem

rem vitam nos esse natos, & hanc quam viuimus plenam esse ignorationis tenebris, si sensum, si humana solùm placita sectari volumus, plenam ærumnarum, plenam calamitatum, si humanis fidem votis velimus, cuius etiam vitæ incommodis & tanquam stimulis inuitamur, vt ad eam quæ futura est libentiùs properemus. Quis (quæso) mente paulo vegetiore non aduertat, prima hac in vita magis ad dolorem homines, quàm ad voluptatem natos? Tanto enim spatio nunquam aut bibere aut comedere, aut vacare proli quisquam potuit, quantò aut sitiunt febrientes, aut mendici & obsessi esuriunt, aut rei criminum torquentur. Id etiam emolumenti nanciscì facilè possent, vt frænarent ambitionem malorum omnium matrem atque nutricem, quandoquidem omnia quæ magna corporeis & humana tantùm intuentibus oculis apparent, exigua videntur spiritualibus oculis, & æterna contemplantibus. Idq; ipsum iure optimo, quandoquidem terræ moles collata cœlo, instar esse puncti,

raris habitata locis, ſterili arenâ, noxijs ſerpentibus, ſitiq́ue deſertâ, vaſtis inuiâ paludibus, altiſſimis interſecta montibus profundiſſimis interpollata fluctibus. In hac exigua naturæ portione tumultuatur humanum genus, breuis & incertæ vitæ, etiam ſi diuturna, ſi longiſſima, ſi ſtabili nixa fundamento videatur. Quid enim diuturnum mortalibus? ſi æternitati futuræ, & immortalis vitæ ad ipſum conferatur? Quid certum & ſtabile in homine, in quo mutant omnia? in quo vt externas taceam & circumiacentes moleſtiarum moles, ipſe conflictus pugnantium inter ſe qualitatum corporei temperamenti, bellum inteſtinum illi ipſi ciet identidem & confecto bello minatur excidium. Adde tenebras quibus humana mens ſibi relicta circumfunditur, vnde & variarum opinionum prælia cooriuntur, & votorum ſibi ſuccedentium, ſubindeq́ue fluctuantium æſtus planè continui. Adde impetus hoſtiles, dolos, fraudes, iniurias: adde & ſuperiorum mentium & inſultus & æſtus, vt veriſſimum

ſit

ſit illud elogium. Vita hominis militia ſuper terram. Militia dubio procul, ſed qua & victoriam, & coronam, & regnum, nobis in cœlo comparari poſſimus, eiuſmodi, vt nec animo capere, nec concupiſcere votis planè queamus, quando & animi, & corporis fœlicitas quæ illic repoſita Dei amicis, eiuſque legis cuſtodibus poſt huius vitæ curſum aſſeruatur, omninò ſuperet captum humanæ mentis, nec niſi Deo docente hominibus patefiat, nihilque omninò ſi ei conferantur fœlicitati, quæ vanæ vetuſtatis illuſtratores Poetæ atque Philoſophi commenti ſunt, de fortunatis inſulis, de fluminibus Nectaris, de Via lactea, de reditu ad Compares ſtellas, & cæteris quæ ad veritatem hallucinantes ſuis lucubrationibus inſeruere. Hæc illi & ſimilia de ſacro literarum otio nanciſci facilè poſſent. Sed ea ab omnibus non extorqueo ſacerdotibus, at ne literas omninò ignorent, ne ſalis euanidi, ne lucis extinctæ notam gerant, & noſcant quæ ad eorum pertinent officium, hoc expoſco,

hoc

hoc exigo, & ni præstent planè detestor. Inprimis autem & vitæ innocentiam, & morum disciplinam, non exactissimam illam quidem & præcellentissimam, sed mediocrem. Non peto vt instar Hieronimi, saxo pectus identidem verberēt, sed nec vt meretricum pectora baccatis monilibus, nec crepidas hydaspeis gemmis exorent. Neque enim postulauerim, vt Hilarionis inedię assuescant, sed ne Sybaritarum cœnas aut æmulentur aut superent. Minus etiam efflagitauerim, vt in spinis & niue volutentur more Francisci & Benedicti: sed cùm mollem cygnorum plumam ingenti pecunia mercantur, aut redimendis captiuis, aut virginibus nuptui tradendis iure optimo dedicatâ id planè damnauerim. Mediocritatem suadeo præcellentiam illam virtutū, quam demirari faciliùs, quàm imitari plurimi possunt, si sequi etiam maluerint & laudabo & prædicabo. Sed neque ita rem ad viuum reseco, vt quum eos & largos, & faciles esse ad tribuendū moneo, ita moneam, vt velim eos omnino imitari

egre-

egregium illud Martini, & celebratiſſimum facinus ſcindendæ veſtis, vti mendicus & frigore tremebundus pauper amiciretur.

Verùm eos quibus abundant acerui pecuniarum, monitos velim Martini exemplo, nudis veſtes tribuendas, potiùs quàm coccineis atque purpureis pannis cooperinda iumenta. Neque item exigo in ſacrarum ſumptibus ædium cenſum vt omnem diſpertiant, æmulenturque aut Sybillina Cumis olim extructa delubra, aut Simandij & Artemiſiæ præruptas murorum moles & miuas, aut Salomonia Templa, aut etiam noſtræ tempeſtatis Iulia ædificia: ſed libenter poſtulauerim, ne ſinant corruere quæ ab illis ſtructa ſunt templa, à quibus ipſi opes tantas nacti ſunt, vt multo auro dicantur Salmacidas noctes coemere. Poſtulauerim ne Sacella à priſcis olim frequentata patribus permittant hiſtricum latibula conſtitui, fœdeque adeo haberi & negligenter, vt ſit ſæpenumero videre ferarum luſtra, æquorumque præſepia & mundiùs & hone-

neſtiùs aſſeruari. Quum nihilominus ipſorum cubicula interim auro ſplendeant, ſubſtracta etiam purpura longè pretioſiſſima ſint, menſarum verò & coquinarum inſtrumenta opere cælato refulgeant: his incommodis cum aliarum beneficio ſanctionum, tum illis maximè cuſtodia legis conſuleres, maxime Pontifex, quia ſanctiſſimè cauetur, ne multa abvno ſacerdotia, quibus annexa ſit animarum cura poſſideantur, diſpenſatio, ita ſolet appellari, efficit, vt iam non multa, non plura, ſed innumera teneant multi, qui ne Diaconi quidem mererentur officio defungi, at eiuſmodi rerum diſſipationem non ego, ſed Bernardus tot antea ſeculis appellauit. Oppone te huic petulantiæ, Pater beatiſſime, & vnum hoc inter alia negotium, & munus egregiè ſuſcipe, vt qui luxu defluunt, qui ambitione deferuent, qui vel coemptis vel eiuſmodi diſſipationibus paratis ſacerdotijs laſciuiunt. Qui leges denique ritè poſitas non obſeruant, ſentient tuæ vim iuſtitiæ atque intrepidæ virtutis, vt ſi aliqua cul-

pa

pa teneantur erroris humani ab eiusmodi tamen scelerum immanitate liberentur. Liceat bonis & modestis viuere, quibus nec otiosis in communi otio iam licet esse. Illis ipsis omnia arripientibus, & seruitutem in dicentibus maximam his qui eorum indigent opera ad famem tolerandam. Hoc si non egeris, Antistitum summe, si malis hominibus fræna laxaueris, si iamdiu multumque laxata non cohibueris, verear ne te Pontifice decidat eo nostra respublica vt dici non falsò possit, à libidine pudorem, ab audacia tumorem, ab amentia rationem penitùs esse deuictam, & in te bellum à nostræ religionis hostibus ante audias geri quàm parari. Si egeris, & vtilitatem omnibus, & tibi etiam gloriam non hanc solùm momentaneam & caducam quæ parui temporis angustijs coercetur, sed & stabilem & perpetuam, non in terris modò, sed in cœlesti sede comparabilis. Nec modò timendum tibi ab exteris erit, sed intrepidè sperandum, venturos nostræ religionis hostes, ad nostræ fidei disci-

disciplinam, bonis exemplis facilius quàm vi & armis inuitatos.
Redactum olim ad nostræ pietatis institutaterrarum orbem per Apostolos efficaciùs sanctissimis eorum vitæ moribus, quàm non modo Constantini Cæsaris legibus, prælijs atque triumphis, sed etiã peractis ipso Apostolorum ministerio supra vim naturæ miraculis, præclarissimi nostræ fidei assertores iudicauere. Et quis rogo nobis assentiretur bonos mores suadentibus, si prauis ipsis abutemur? Quis religioni quam colimus imitari per nos cuperet, quos videret quod ore asserimus factis pernegrare? Præstat itaque in reducendis hostibus & desertoribus ad nostræ fidei pietatem, vt collapsos mores ad normam priscæ virtutis instauremus, quã, quod multi ambiunt, vt classe petamus Euxinum, & expositio in continentem milite, concussaque maximis confectis prælijs Colchica Trapozunte, cruentata vexilla inferamus Armeniæ. Eia igitur, Pater sanctissime, & naturæ lege non scripta sed nata, & reuelata diuinitus

nitus disciplina, & maiorum tuorum sanctionibus atque decretis, & vtilitate simul & gloria excitatus, indue sanctissimum in desertores & impios, saluberimumque furorem, quo discant pœnarum agere formidine, quod virtutis amore deberent. Moses ille legislator, quanquam mitissimus, terrifica tamen percitus est ira, quum posthaberi Deum agnouit, & seuerā in desertores pœnam exercuit. Deus & homo Christus Iesus omnium virtutum exemplar, irrogatas in se contumelias patientissimè tulit: non tulit paterni honoris notam, quum sacrilegos venditores, emptoresque ex templo expulit, & flagillo discussit. Et ille quidem vituli vnius aurei cultores, maxima est cede persequutus: & hic columbas vænales & turtures è templo voluit eiectas. Tu verò earum cultores vitularum, quæ maximo numero in vrbe non stabulantur modo, sed dominantur, & auro, purpura, margaritis, more regio incedunt ornatæ, vt ad earum aspectum, nedū congressum plurimi & obbrutescant

&

& pereant, exilio saltem & honorem omnium mulcta non compesces? Tu sacras ædes sceleribus omnifariam profanari, & in eis tot monstra Circæa grunnire permiseris? tot Syrenes, & verius, tot Syrenum milia patieris, nauiculæ tibi diuinitùs commissæ, quantum in ipsis est procurare naufragium? Tu Dei optimi templorum, tu Christi sanguinis mercatum sustinueris? Cuius supremum sacerdotium nullis mercimonijs es consequutus. Si Clemens videris Pontifex, id pietati facilè adscribetur. Si nimis placidus, naturæ tuæ consuetudini, corporisque temperamento. Sed si posthaberi Deum eiusque legem patieris, & immania scelera passim, & nulla prorsus verecundia peragi, nullus erit tam iniustus rerum æstimator, qui vereatur id tribuere, vel malitiæ, vel negligentiæ. Quapropter si attendere diligenter, & æstimare hac omni de re, de qua disseruimus, volueris, Pater sanctissime, sic (ni fallor) planè constitues, vt leges iam ritè positæ, pœnæ saltem formidine custodiantur, dabis-

dabiſque operam exemplo non ſolùm & innocentia vitæ, ſed animaduerſionis in alios, ne quicquid collibitum fuerit impunè feciſſe audeant improbi, atque ita & tibi ſimul & omnibus conſules, & collabentem iam ac propè intermorituram Chriſtianam rempublicam ab interitu vendicabis. Hoc omnis ordo, hoc conſenſio bonorum omnium expoſcit & obſecrat. Quæ vbi per te acta fuerint, vbi peſſimæ vitæ monſtra, vel edomueris, vel extinxeris, ne poſteà repullulent, adhibenda erit legum cautio, & ſeuerior aliquanto diſciplina. Non in veſtibus modò & ſumptibus, ſed in ſtudijs ſacræ literæ vtriuſque inſtrumenti recognoſcendæ, & cum antiquis & caſtigatis primæ originis exemplaribus conferendæ, vt ab erratis quæ vitio temporum, & librariorum incuriâ in illas irrepſerunt, omninò purgentur, ſolennes ceremoniæ de quibus fuêre olim quępiam difficultates, prioribus oblatæ Synodis, ſtatuendæ firmandæque ſunt, quotidianæ preces re-

digendæ in ſtatum, & probatum ordinatum ordinem, & veræ hiſtoriæ ab Apocryphis nugis ſegregandæ, præſcribenda Principibus viris officia, vt ſcelerata illa & noſtræ reipublicæ deletrix opinio licere quæ placeant, & à vulgi animis omninò amoueatur, & penitùs exulet. Sit inter ipſos Principes pax, & diſcordiarũ finis, vt à diuturnis diſſenſionibus aliquando quieſcamus, daturi operam eis officijs, quæ mortales euehunt ad immortalem vitam, & excedentem animantium omnium vita fœlicitatem.

Comitis Mirandulæ de Moribus reformandis Orationis, finis.

Refer ad pag. 275.

extat libellus in 4°. Excu-
sus Norembergæ. 1523. Cum hac Επιγραφῇ —
Pontificij Oratoris Legatio
in Conventu Norembergensi Anno. 1522 in chaoto,
sequenti vero finito) exposito, vna cũ Instructione
ab eodem Legato consignata. Et in dicto libro
habentur,

1. Adriani. 6. Literæ Conventui Cum Dietæ Norembergensi. datæ Romæ. 25. Nov. 1522.
2. Instructio Adriani. 6. Papæ Fran: Cheregato Legato suo, de nonnulli Conventui Norembergensi diua voce dicendis
3. Conventus Respons. ad dictũ Legatũ.
4. Replicatio Legati.
5. Centũ Grauaminæ Germaniæ.

Ex

Ex instructionibus Papæ Adriani sexti, quas dedit D. Francisco Cheregato, Legato suo, vt exponeret Principibus Electoribus, & alijs Principibus &c. in Dieta Nurenbergensi congregatis. Anno Dom. 1522.

ITem, dices nos ingenuè fateri, quòd Deus hanc persecutionem Ecclesiæ suæ inferre permittit, propter peccata hominum, maximè sacerdotum & Ecclesiæ Prælatorum. Certum enim est, non esse abbreuiatam manum Domini, vt saluare nequeat, sed peccata deuidere inter nos & ipsum, & abscondere faciem suam à nobis, vt non exaudiat. Clamant Scripturæ, peccata populi deriuari à peccatis sacerdotum, propterea que (vt ait Chrisostomus) Saluator noster curaturus infirmam ciuitatem Hierusalem, ingressus est priùs templum, vt peccata sacerdotum primo castigaret, instar boni Medici, qui morbum à radice curat. Scimus

6. Annatarū, a Romano Pontifice toto orbe exactarū, Taxa particularis per florenos æstimatæ sunt Annatæ, et numeratæ.

mus in hac ſancta ſede, aliquot iam annis multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, & omnia denique in peruerſum mutata. Nec mirum, ſi ægritudo à capite in membra, à ſummis pontificibus in alios inferiores Prælatos deſcenderit. Omnes nos (id eſt prælati eccleſiaſtici) declinauimus, vnuſquiſque in vias ſuas, nec fuit iam diu, qui faceret bonum, non fuit vſque ad vnum. Quamobrem neceſſe eſt, vt omnes demus gloriam Deo, & humiliemus animas noſtras ei, videatque vnuſquiſque noſtrûm vnde ceciderit, & ſe potiùs quilibet iudicet, quàm à Deo in virga furoris ſui, iudicari velit. Qua in re, quod ad nos attinet, polliceberis nos omnem operã adhibituros, vt primùm curia hęc, vndè fortè omne hoc malum proceſſit, reformetur, vt ſicut inde corruptio in omnes inferiores emanauit, ita etiam ab eadem ſanitas & reformatio omnium emanet. Ad quod procurandum nos tanto arctiùs obligatos reputamus, quantò vniuerſum mundum huiuſmodi re-

for-

formationem auidiùs deſiderare videmus.

Ibid. Inueteratus nimium morbus eſt, nec ſimplex, ſed varius & multiplex, pedetentim in eius cura procedendum eſt, & priùs grauioribus, magiſque periculoſis occurrendum, ne omnia pariter reformari volentes, omnia perturbemus. Omnes ſubitæ mutationes (inquit Ariſtoteles) in republica periculoſæ ſunt. Qui nimis emungit, elicit ſanguinem.

Papas Romanos, eorumque afflictas Prouincias Christianas spoliasse & expilasse: Hoc ostenditur primum generaliter, deinde singillatim de priuatis regnis & prouincijs.

Abbas Vrspergensis pag. 307.

VIx remansit aliquis Episcopatus, siue dignitas ecclesiastica, vel etiam parochialis Ecclesia quę non fieret litigiosa, & Romam deduceretur ipsa causa, sed non manu vacua. Gaude mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, vt ad te confluant riui & ageres nummorum in magna copia. Lætare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompensationem tantorum datur tibi pretiũ. Iocundare super adiutrice tua discordia, quia erupit de puteo infernalis Abyssi, vt accumulentur tibi pecuniarum præmia.

Habes quod semper sitisti, decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem vicisti.

Ad

Ad te trahit homines non ipſorum deuotio, aut pura conſcientia, ſed ſcelerum multiplicium perpetratio, & litium deciſio prætio comparata.

Quia ſuperiùs tangitur Camera Apoſtolica, reſtat etiam pauca de illa explicare, quæ aſſimilatur mari, in quod intrant omnia flumina, & non inundat (ab exundat) ſic enim in iſtam portantur quotidiè de diuerſis mundi partibus auripondo multa, attamen non impletur: in qua eſt generatio, quæ pro dentibus gladios commutat, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus: & in qua ſunt multæ ſanguiſugæ dicentes, Affer, Affer, cuius quidem Officiales, gentes Cameræ nuncupantur: benè quidē. Gentes enim ſunt barbaræ nationes habentes ritus & mores extraneos à moribus hominum legibus & ratione vtentiū. Hæ autem gentes noſtræ eiſdem alijs gentibus multifariè in omnibus ſunt conformes. Vnde congruit eis illud:

Theodoric. de Niem Nemoris vnio tract. 6. cap. 37 pag. 379.

Cumq; pares eſtis, ſociari iure poteſtis.

Nam ſicut Turcæ & Tartari, qui Chri-

ſtianis magis ſunt infeſti, infœlices huiuſmodi Chriſtianos, qui ad eorum manus viui perueniunt, tractant inhumaniter & flagellant: ſic & noſtræ gentes prędictæ nouos eccleſiaſticos Prælatos, qui apud nos promouentur, exquiſitis vijs, rebus, ſubſtantia, remotâ omni pietate, rurſus denudant. Vnde ſi fortè totum ſoluere nequeant, quòd in ipſa Camera poſtulatur ab ipſis, & de gratia, quæ rarò fit & paucis, tempus ad ſoluendum aliquod ſtatuatur, extorquentur ab ipſis, qui remanent obligati, tam immania ſeu horribilia iuramenta, quòd ſapiens quiſquam illa etiam pro conſequendo magno bono, vel effugiendo magno damno in euentum præſtare meritò formidaret. Et ſuper tali dilatione dantur ei literæ in ipſa Camera, non propter Ieſum tantùm ſed vt immoderatè nimis aurum, ſi quod ſupereſt pro expenſis itineris allatum, etiam extorqueatur ab ipſa, ſic vt ab eadé Camera liberatus eâ vice rectè dicere poſſit:

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Omnis

Omnis enim inde pietas, miſericordia & clementia longiſſimè auolarunt,& ſi fortè mille florenos ibidem ſolueres, quorũ vnus tantum vnum duntaxat obulum minùs debito ponderaret, niſi longè illo ponderoſiorẽ illico exhiberes, aut quod deficeret in duplo ni argentea moneta ſuppleres, liber tibi recedendi non pateret exitus ab eadem, licet gentes ipſæ noſtræ generaliter omnes florenos, quos recipiunt ab alijs, perſoluunt cæteris ſine pondere ac menſura. Si autem quis pauper aut diues prælatus totidem quot debet, ipſi Cameræ ſoluere vna vice non poſſit, quamuis etiam occaſione literarum Apoſtolicarum ſuper promiſſione de ſe facta confectarũ, nec non ſtando in Roma, tam intolerabiles feciſſet expenſas quas forſan præſidendo ſuæ prælaturæ deductis oneribus, diu accumulare nequiret, etiamſi eſſet excellentior doctor, vel magiſter in orbe terrarũ, ſibi propterea non differtur: quoniam ſi infra annum à datis promiſſionis ſuæ computandum, totum non ſoluat, in quo ipſe dictæ Cameræ obli-

obligatur, in eiusdem anni reuolutione de Antistite fit Clericus, nec non de Abbate Monachus, & Priore posterior deriuatur, nulla ipsis æquitate vel iustitia suffragante. O iustissimæ gentes nostræ vel quasi rectè cum infernalibus furijs seu harpijs & Tantalo sortem sitibundi posituri, qui nunquã satiantur. Habent etiam dura capita & saxea pectora ex Deucalionis composita lapidibus, & corda ad inferendum compatiendumq; omni Chalybe duriora Gentes nostræ prædictæ. Infœlix igitur pauper ille Prælatus, qui retibus dictæ Cameræ illaqueatus in locum inibi venerit tormentorum.

Idé Theod. de Niem. de scisma li. 1 ca. 68. pa. 55.

Ipse etiam Bonifacius huiusmodi offertorijs non contentus licet ad maximas summas ascenderent (erat enim insatiabilis vorago, & in auaritia nullus ei similis) ad diuersa regna misit quæstuarios vendendo dictam indulgentiam offerentibus tantum, quantum essent expensuri in via, si propterea iuissent ad vrbem, & huiusmodi exactores, seu quęstuarij etiã maximas summas pecuniarũ à simplicibus,

bus, seu barbaris subtiliter extorserunt, ita quòd aliquando in vno regno, seu in vna prouincia huiusmodi venditionibus vltra centum millia florenorum reportarunt, quia omnia peccata etiam sine pœnitentia ipsis confitentibus relaxarunt, super quibuslibet irregularitatibus dispensarũt interuentu pecuniæ, dicentes se omnem potestatẽ habere super hoc, quum Christus Petro ligandi & soluendi contulisset in terris, & per hoc ipsi quæstuarij impinguati, dilatati, ingrossati, & cum multis pulchris equis & decenti familia redeuntes ad vrbem, &c.

Quid quod maiora vel certè paria priscorum temporum vectigalibus Europa penè omnis tributa Romam mittit: dum singulæ ciuitates à Romano Pontifice beneficia accipiunt.

Blõdi Flauij Forliuiensis ad Eugeniũ 4. de Roma instaurata. lib. 3. 40.

Et quod amplius à malo est (quoniam Symonia quamuis post factum expleatur amplissima est) quod eadem potestate reditus & prouentus beneficiorum omnium & vbique quo primum anno vacantia fuerint, sibi reseruat, secundum hunc

Marsilius Patauinus in defensorio pacis. Part. 2 ca. 24. p. 361.

hunc modum sibi congregans omnes mundi thesauros, & eisdem omnia regna spolians atque prouincias, &c.

Quomodo Gallia à Papa expilata fuerit.

Constitutio Ludou. regis qui Beatus dictus est. Anno 1228.

EXactiones & onera grauia pecuniarum per Curiam Romanam Ecclesijs regni nostri imposita, quibus regnum miserabiliter depauperatum extitit, seu imponenda leuari & colligi nullatenus volumus, nisi duntaxat pro rationabili, pia & vrgentissima, vel ineuitabili necessitate, ac de expresso & spontaneo consensu nostro, & ipsius Ecclesiæ regni nostri.

Nicol. Clemangis de non soluendis Annatis in fasciculum rerũ expetend. & fugiend. fol. 192.

Nam taxa vacantiarum secundum quod descriptum est in libris Cameræ Apostolicæ de Ecclesijs Cathedralibus & Abbatijs Galliarum taxatis, ascendit ad sexcenta nonaginta septem millia septingenta quinquaginta Francorum sine prælaturis quas non taxant, & alijs inferioribus dignitatibus & beneficijs,

quæ

quæ fere ad tantundem ascendunt, quæ summa prima sex annos (velut clarè demonstraretur) integraliter soluitur : & singulis annis diuisa ascenderet ad ducenta milia, prælaturis & alijs minoribus beneficijs iunctis. Quod si in singulis nationibus tantundem reciperetur & haberetur, ascenderet summa, & esset in vniuerso sex milliones nongenta septuagenta septem millia & quingenti floreni, quod esset excessiuum valde, &c.

Eadé habet Carolus Molineus cõtra paruas datas. pag. 131

Artic. 67. Si decreta & constitutiones iam dictæ (Pragmaticæ sanctionis) antiquarétur, quotannis decies centena millia aureorum, & eo amplius hinc Romam exportarentur. Vt spaciatim & sigillatim demonstremus, quantopere hoc triennio pecunia regnum (Galliæ) exhaustum sit, animaduertendum est Pij Pontificis tempore vacasse in hoc regno plusquam viginti Archiepiscopatus & Episcopatus. Nec dubium est, quin pro annuo illo vectigali, quod Annatam vocamus, quàm pro reliquo sumptu accessorio & extraordinario in

Senatus Parisiensis in postulatis exhibitis Ludouico 11. à fr. Duareno Iurisconsulto latine conuersis & editis cum priuilegio Regis bis Lutetiæ, & bis Lugd. Art. 72

sin-

singula diplomata seu Bullas ** aureorum millia dispensa muneratacq; sunt. Quæ summa est centum & viginti milliũ aureorum.

Artic.73. Cænobiarchæ quoque siue Abbatæ ad sexaginta aut eo amplius vacauerunt in hoc regno. Quarum singulæ duobus millibus aureorum vt minimum constiterunt: summa ergo est centum & viginti millium aureorum.

Artic.74. Eodem tempore Prioratus, decanatus, præposituræ præceptoriæ, & dignitates electiuæ, quæ lituo insignitæ non sunt, plusquam ducentę vacauerunt, ac in singula huiusmodi beneficia aurei sunt quingenti. Summa igitur est centum millium aureorum.

Artic.75. Constat in hoc regno vt minimum centum parœciarum esse, quæ inhabitentur & incolentur. Nec vlla est in qua eo tempore gratiam expectatiuam aliquis non impetrauerit: in quarum singulas 25. aurei tam pro itineris sumptu, quã diplomatum confectione: pro non obstantijs, prærogatiuis, anullationibus,

&

& alijs ſpecialibus clauſulis, quæ gratijs aſcribi conſueuerunt, item pro executorio proceſſu ſuper eiſdem gratijs facto. Summa hæc eſt, vicies quinquies centena millia aureorum.

Artic. 77. Pro deuolutionibus aliorum præſulatuum & dignitatum: pro beneficiorum prouentionibus: pro commendationibus & penſionibus: pro beneficijs vacantibus in Curia Romana: pro diſpenſationibus ad duo vel tria, vel quatuor beneficia incompatibilia, & multis alijs eiuſmodi quæ ſequuntur. Ex quibus ſumma conficitur multo amplior, quàm ducentorum millium aureorum.

Artic. 78. Reditus Epiſcopatuum, Abbatiarum, & aliorum huiuſmodi beneficiorum, quos reſidentes & commorantes in Curia Romana ad ſe perferri curant quotannis excedunt ſummam centum millium aureorum.

Quis eſt adeo imperitus rerum, vt Romanæ Curiæ artes non norit, & quantum ea hirudo gallici exorbeat ſanguinis quotidie non ſatis intelligat? Dicam

Franciſcus Duarenus de ſacris Eccleſiæ miniſterijs & benef. li. 1. ca. 6. fo. 8

Dicam quod à viris peritissimis, ac diu in republica versatis non semel accepi, quanquam incredibile videtur: quotānis variorum diplomatum à Pontifice obtentorum nomine ad septingenta aut eo amplius aureorum millia Romam hinc exportari solere, quæ ita illic velut capta vinctaque detineantur & custodiantur, vt nullo vnquam postliminio ad nos redeant.

Ioannes Maria Belga Ludouici 12. historicus de scissmate. part. 2. ca. 22 pag. 461.

Præterea idem Papa (Ioannes 22) qui tantam vim auri post se reliquit, quantum nullus Pontificum, qui vel ante, vel post eum fuere, cum suis successoribus ita regnum Galliæ nouis exactionibus, Annatis, Decimis, Subsidijs, gratijs expectatiuis, alijsque inuentionibus (in quibus excogitandis Curia Romana magistra est) aggrauauit, vt miseri clerici ac studiosi Parisienses ne vnicum quidem beneficium adipisci possent: sed omnia à Cardinalibus & Curiæ Ministris Auinione degentibus occupabantur: quam ciuitatē Franciscus Petrarcha doctissimus vir, eo tempore Meretricē Babylonicam

appel-

appellabat. Nec solùm miseri Sacerdotes ac scholares præter modum premebantur, sed & ditiores regni prælati sæpiùs de immensis oneribus ac exactionibus regi conquerebantur. Vide plura ib.

Pauper remansit Fiscus noster, diuitiæ nostræ ad Ecclesias sunt translatæ. Nulli nisi Episcopi regnant: perijt honor noster, & translatus est ad Episcopos ciuitatum. Verba Chilperici Regis Franc. apud Gregor. Turonen. lib. 6.

Germania pecuniâ exhausta.

Atque his mercium (indulgentiarum) nundinationibus, simul & spoliata est ære Germania, & Christi pietas extincta. 2. Rom. Imperij principum ac procerum grauamine.

Quapropter sacri Romani Imperij status obnixè quoque rogant, vt præfata onera & grauamina, per quæ tam immenso pecuniarum cumulo spoliatur Germania, quæ hinc in curtisanas malè prodigitur, radicitùs ac penitùs tollantur & auferantur. 3. Ibid. Grauamine 21.

Huic facilè conijcere licet, quot Romæ, quantiq́ue laquei pro emungendis nummis tendantur. Ibid. Grauamin. 54.

Archiepiscopus Moguntinus, soluebat,

bat Papæ pro pallio 24000. Ducatos: & tantidem soluebat Archiepiscopus Colonienſis.

Paralip. Abbat. Vrſpergen. pa 454.

Germania ſoluebat annuè Papæ circiter trecenta millia Florenorum.

Albert. Krãtrius VVandaliæ lib. 12. cap. 33 pag. 289.

Rex Poloniæ eâ tempeſtate non ſatis æquo ferebat animo, quòd Marinus de Fregano nuntius Apoſtolicus, qui iamdudum in Suecia multas opes contraxit,

Circa Ann. Dom. 1466.

etiam ſuas in Polonia conſtituiſſet oues tondere, teneri iuſſit hominem, vt omnibus diligentiùs perquireret, quos in vſus veniret tanto molimine aceruatâ per Prouincias pecuniâ: præferens ſuo regno magis opus videri tali ſupplemento quàm Italiæ, quòd cùm illa in pace degeret, ipſe à Turcis Tartariſque laboraret. Vide plura.

Pauli Langij Cygnæi Monach. Bozawienſis. Chronicon Citiz. de illius Diœceſeos geſtis pag. 875.

Anno Dom. 1484. fuit Legatus quidam cum indulgentiarum pleniſſima remiſſione in Suecia, vbi hoc anno, æſtiuo præſertim tempore, prævalida ſeruit peſtilentia. Quâ fretus Legatus ille miro modo & inſatiabili explumauit pauperes. Quare author hiſtoriæ Sclanucę ex

qua

qua hęc tranſcripſi, ita exclamat, O Petre, Petre, non tibi dixit Chriſtus, mulge aut tonde, ſed paſce, paſce, *Ioan.* 21. ideoque aperuit infernus os ſuum ſine termino, & intrabunt maiores ſine numero.

Hallis autem & per Saxoniam ſequenti fuit anno ſuſpenſa indulgentiarum caſſatio: primo & vnico anno (vt fama fuit) centum millium aureorum damnoſam priuationem inferens Romanenſibus. Proinde pius Lector penſitare poterit, quàm ineſtimabilis collecta duntaxat per Germaniam fuiſſet pecunia, ipſum ſi indulgentiarum negotium adhuc integro luſtro, vti præfixum inſtitutumque fuerat, perduraſſet. Aſt ô Deus, quorſum tanta tandem deueniſſet pecunia? Idem ibid. pag. 898.

In Cardinalium videlicet & præſertim Papalium amicorum ęraria repoſitus. Nec mirum, cùm nuper quidam frater ordinis mendicantium, præfatarum indulgentiarum per Saxoniam terraſque noſtras commiſſarius, moriens duo millia Florenorum, quos ex pœnitentiũ la- Ibid. ſtatim.

chrimis corraſerat & extraxerat, in extremis reliquerit.

Sicilia.

Robert. Gaguinus in hiſtor. Fran. lib. 7. in Dno Ludoui.

Carolus Andegauenſis, Oſtiam delatus Romæ tandem exceptus eſt: mox adeptâ Senatoriâ dignitate, Diadema quoque Siciliæ regni, donante Clemente Vrbani ſucceſſore, accepit, annuâ quadraginta milliũ Ducatorum penſione indictâ, quam ſedi Apoſtolicę ſolueret.

Quomodo Angliam diripuerint & ſpoliârint Papæ eorumq; Aſſeclæ: primùm ex Mathæo Paris Monacho Albanenſi, è multis pauca. Obijt An. Dom. 1259.

Matthæus Parys in Iohanne pag. 287.

EOdem anno Iohannes Ferentinus Apoſtolicæ ſedis Legatus veniens in Angliam, eamque præluſtrans, magnam pecuniæ ſummam congeſſit, &c.

Idem ib. pa. 382.

Eodem tempore Wallo Legatus exegit procurationes per totam Angliam ab Eccleſijs Cathedralibus & domibus religioſis, pro ſcilicet procurationibus quinquaginta

quaginta ſolidos. Omnia etiam beneficia Clericorum pariter ac virorum religioſorum, qui Ludouico & Baronibus auxilium, conſilium, vel fauorem impenderant, ſequeſtrauit, quæ omnia in ſuos & Clericorum ſuorum vſus conuertit.

Tunc idem Otto cœpit ab omnibus Eccleſijs Anglię conuentuallibus nomine procurationis duas marcas argenti. Et ſciendum quod tempore quo magiſter Otto venit in Angliam, dominus Papa miſit nuntios per orbem vniuerſum, exactiones indebitas exigens, ſicut inferius dicetur. Idem in Henrico 3. pag. 435.

Omnibus igitur congregatis tã Laicis quàm Clericis, & eorum ſubiectis, Magiſter Stephanus coram omnibus recitauit Domini Papæ literas, in quibus exigebat decimas omnium rerum mobilium de tota Anglia, Hibernia, & Wallia, ab vniuerſis Laicis & Clericis, ad gueram ſuam ſuſtinendam, quam contra Romanum Imperatorem ſuſceperat Fredericum. Idem ibid. pag. 483.

Comites verò & Barones ac Laici om- Idem ib. pa. 484.

nes planè decimas se daturos contradixerunt nolentes Baronias suas vel laicas possessiones Romanę Ecclesię obligare.

Ibid.ead.pa. Erat autem in huius rei executione adeò improbus exactor, vt etiam de frugibus Autumni futuri, quæ adhuc in herba crescebant, singulos compelleret decimarum sibi pretium exhibere. Prælati verò aliud remedium non habentes, calices, phialas, phylacteria, & alia sacra altaris vasa, quædam vendiderunt, nonnulla sub pignus posuerunt.

Ib.pag.485. Et sic abrasor pecuniarum Magister Stephanus Domini Papæ Capellanus, Anglis fœda reliquit vestigia.

Idem ibid. pag. 535. Dominus Papa occasionem sumens à prędicta Imperatoris persecutione, argumentosas extorsiones prędipuè in Anglia excogitans, & multiplicans Legatos sub specie simplicium nuntiorum potestatem tamen habentes Legatorum vndique destinauit, qui multifariam exegerunt pecuniam, nunc prędicando, nunc supplicando, nunc prędipiendo, nunc comminando, nunc excommunicando,

cando, nunc procurationes exigendo, per regnum Angliæ infinitos extorres reddiderunt & mendicantes.

Paruoque tempore ſuccedente facta eſt tanta commutatio, tam multiformis pecuniæ exactio, nec fieri poterat in quã abyſſum tanta pecunia, quę per papales procuratores colligebatur, eſt demerſa, &c. Idem p. g. 519.

Per eoſdem dies venit in Angliam noua quędam pecuniæ exactio omnibus ſeculis inaudita & execrabilis. Miſit enim Papa pater noſter ſanctus, quendam exactorem in Angliam, Petrum Rubeum qui excogitatâ muſcipilatione infinitam pecuniam à miſeris Anglicis edoctus erat emungere. Intrauit enim religioſorũ capitula, cogens & ſeducens eos ad pecuniam promittendam, & promiſſam perſoluendam exemplo aliorum Prælatorum, quos mentitus aſſerebat gratanter perſoluiſſe. Dixit enim ille Epiſcopus, & ille: ille Abbas, & ille iam libens ſatisfecit: quidnam vos ignaui tam moramini, vt grates cum muneribus amitta- Idem pag. 714.

tis. Vide plura ibidem.

Idem pa. 735 Igitur in craſtino Epiphaniæ, apud Doueram legatus nauem aſcendens poſt regales amplexus & oſcula, legationis depoſuit inſignia, & transfretans depaupe-ratã Angliam à tergo ſalutauit, nullo præter Regem, & quos idem legatus bonis regni ſalutãuerat, de receſſu condolente. Nec remanſit eadem hora, vt veraciter dicebatur, in Anglia tantum pecuniæ, exceptis ſanctorum vaſis & ornamentis Eccleſiarum, quantum à regno iam extorſerat Anglicano. Præbendas autem Eccleſias, & varios reditus opimos pluſquam trecentos ad ſuam vel Papæ contulerat voluntatem. Vnde regnum quaſi vinea expoſita omni tranſeunti, quam exterminauit aper de ſilua, miſerabiliter languit deſolatum.

Idem pa. 743 Eodem tempore permittente vel procurante Papâ Gregorio, adeo inualuit Romanæ Eccleſiæ inſatiabilis cupiditas, confundens faſq́ue nefaſq́ue quòd depoſito rubore velut meretrix vulgaris & effrons omnibus venalis & expoſita, vſu-

ram

ram pro paruo, ſymoniam pro nullo inconuenienti reputauit, ita vt alias affines prouincias, imo etiam puritatem Angliæ ſua contagione maculauit.

Circa idem tempus miſit Dominus nouus Papa quendã nouum in Angliam pecuniæ exactorem, magiſtrum videlicet Martinum, autenticum papale deferentem & habentem poteſtatem excommunicandi, ſuſpendendi, & multipliciter voluntati ſuæ reſiſtentes puniendi. Qua roboratus poteſtate, ſuſpendit prælatos Angliæ à ſuſpenſione beneficiorum donec voluntati papali ſatisfactum fuiſſet, redditus ad opus Clericorum ſuorum & conſanguineorum poſtulanti. Indignum tamen iudicabat aliquem redditum ſuſcipere, niſi triginta marcas aut ſupra valentem, ne quiſquilias colligere tantus vir videretur. Cœpit igitur dictus magiſter Martinus munera, præcipuè palfriados concupiſcibiles imperioſè exigere & extoquere à Prælatis, maximè à religioſis, præcipiens per literas diſtrictè illi Abbati, vel illi Priori vt ei equos, quales decebat ſpe-

Idem pa. 825 anno Dom. 1244.

ſpecialem Domini Papæ Clericum inſidere, tranſmitterent: contradicentes autē & excuſationes & cauſas negationis prętendentes etiam rationales, vtpote Abbatem de Malmesburia, & Priorē de Mertona ſuſpendit vſq; ad plenam ſatisfactionem, grauiter puniuit. Sedulus etiam explorator Eccleſias vacantes & præbendas conſiderauit vt ipſas patentiſſimæ papali indigentiæ præſentaret: inter quas dum præbenda opima Sarisberienſis Eccleſiæ ſpectans ad præcentorem vacaret, inuito Epiſcopo & nimis dolente cum toto capitulo, manus rapidas eidem præbendæ ſtatim iniecit, & iuſſu Papæ cuidam puero nepoti ſuo non ſine multorū cordiū amaritudine & ſtupore contulit. Credebant enim multi & ſperabāt, quod Romana Curia à Deo multipliciter iam flagellata, fræno moderaminis ſuam auariciam coerceret.

Idē pag. 936 Verba Papæ de Anglia.

Verè hortus noſter delitiarum eſt Anglia, verè puteus inexhauſtus eſt, & vbi multa abundant, de multis multa poſſunt extorqueri.

Pro-

Probatum fuit in publicis Angliæ Comitijs, anno Domini 1532. ſoluta fuiſſe pro Bullis Epiſcoporum ab anno quarto Henrici ſeptimi decies centena & ſexaginta millia librarum præter alias diſpenſationes & indulgentias.

Verba Holingſheadi in Chronico vlt. edito. pag. 928. Hocfuit ſpaciumcirciter 44. annorum

Quantos theſauros quidam Papæ poſt mortem reliquerunt.

ANno illo Ioannes 22. Pontifex Romanus è vita migrauit, anno Dom. 1334. vitæ verò ſuæ nonageſimo, & obijt Auinione. Reliquit autem in theſauris ingentem vim auri & argenti, cuius computatio fuit millies viginti quinque millia aureorum.

Antoninus hiſt. part. 3. titul. 22. cap. 6. fol. 111.

Hanc ſummam Galli ſic exprimunt, viginti quinque milliones auri. Germani verò ducentas quinquaginta auri tonnas.

Pontifex autem ipſe Calixtus 3. ſexto die Auguſti, 1458. ex hac luce migrauit 84. anno ætatis ſuæ. Quo mortuo reperta ſunt 150000. florenorum in ſcrinio ſub

Idem ibidē titul. 22. cap. 16. fol. 186.

ſub cubiculo eius.

Mercurius Gallo-Belgicus Nuncio Anni 1590. lib. 3. pa. 194

Sixtus Quintus anno Pontificatus ſui primo nouum & antea inſolitum ærarium in caſtro S. Angeli erexit, & in illud confeſtim decies centena aureorum millia intulit. Auxit idem ærarium totidem centenis millibus anno Pontificatus ſui tertio. Poſterioribus annis eandem ſummam adhuc ter eidem ærario adiecit. Quo factum vt moriens quinque milliones auri in hoc theſauro reliquit, &c.

Ex his iudicet Chriſtianus lector annon verba illa Diui Hieronimi in Ioannem Epiſcopum Hieroſolymitanum, multo verius de Romano Pontifice dici poſſint: *Tu qui ſumptibus abundas, & totius orbis religio tuum lucrum eſt, grauiſſimos illos legatos tuos huc illucq; tranſmittis.*

Hieron. aduerſus Ioan. Hieroſolym. tom. 3.

Verſus retrogradi.

Pauperibus ſua dat gratis nec, munera curat
Curia papalis, quod modo percipimus.

FINIS.